

Vc
1049



I, 5^a

16.

HISTORIA
MISNENSIS
QVAM
CHRONICON TERRÆ
MISNENSIS
ET
ANNALES VTERO
CELLENSES

ANTEHAC NVNQVAM EDITA
EXHIBENT
IN LVCEM PRIMVS PROTAXIT
BVRCARD GOTTH. STRUVE.



IENÆ
APVD IO. FELICEM BIELCKIVM.
M DCC XX.





PRÆFATIO AD LECTOREM.

Bina exhibemus Chronicā hucusque inedita, quæ ad prelum parata Summe Reuerendus Vir, IO. PHILIP-PVS STORRIVS , Ecclesiæ in Libera Heilbrunnensi Ciuitate Pastor Primarius & Gymnasii Scholarcha, industrio Viro Io. Felici Bielckio cesserat, hac præmissa Præfatione:

*Germano & Patriæ cumprimis
Studio LECTORI Salutem plurimam dicit Editor. Ecce tibi apographum bona fide redditum, gemini Manuscripti historici, in quod ante hos plures annos bona fortuna*

A in-

PRÆFATIO

incidi. Utrumque statim ut perle-
giluce publica dignum aestimavi, &
facile virorum in Patriæ historiæ
Scriptoribus versatissimorum cal-
culum impetraui, defuit saltem huc-
usque qui adiutrices manus porrige-
ret, quas tandem dum hic ad meos
inuiso & agrauioribus vaco, in iu-
uandis literis solertissimus Dominus
Io. Felix Bielckius obtulit. Nomen
evidem suum Autor non prodidit,
forte quod continuare laborem sta-
tuerat; tamen ex lectione ultro pa-
tet, ipsum sub finem Seculi XV. &
quidem in monachatu vixisse, clau-
stra & monasteria in his regionibus
olim frequentia, perreptasse, char-
tas & membranas eorundem veteres
diligenter excusisse, atque ex his ea
hansisse, quæ meliore fide quam stilo
(hic enim pro seculi quo vixit infe-
licitate fere barbarus est) enarrat.
De usu quem tibi ex his promittere
pote-

AD LECTOREM.

3

poteris, non est ut quidquam mo-
neam, si saltem rerum in Patria o-
lim gestarum studiosus es. De fide
autem qua in describendo sumus usi,
nullus dubitabis; integerrimam
ipsa collatio cum codice Manuscri-
pto, quem laudato Domino Bielkio
cessimus, usque præstabit. Nam
vel ipsam barbaram scriptionem e
simplicis pro æ vel æ plerumque, ut
propriorum Nominum semper reti-
nuimus, nec nisi numerum Para-
graphis sine sectionibus maioribus
ad commodiorem Lectoris usum ad-
ieciimus. Volebamus etiam tertiu-
m ad calcem addere: Breuem sci-
licet, & compendiosam Relationem
de fundatione, consecratione, incre-
mento & decremento Cœnobii Lau-
rissensis ex peruetusto codice mem-
branaceo extractam; & quomodo
monasterium ipsum tum celebre &
Abbatiali dignitate tam magnifi-

A 2

cum,

PRÆFATIO

cum, tandem cum omni honore, va-
jallis, castris, oppidis, prouentibus, iu-
ribus & pertinentiis suis, Imperiali
& Regali munificentia, summorum
que Pontificum consensu, Archiepi-
scopatui & Ecclesiae Moguntinæ in
perpetuum sit donatum, concessum
& incorporatum, adiunctis desuper
illorum priuilegiis ac decretis, Item
de mutatione ordinum, quæ post do-
nationem subsequuta fuit. Hæc
vltima aliunde desumpta sunt per
Georgium Vogelium E. B.M.V.VV.
Decanum manu propria: Sed quod
ab Excellentissimo Viro, Domino
Burcardo Gotthelfff Struvio Histo-
riarum in hac Alma Professore lon-
ge celeberrimo audirem, de noua
quam parat editione Scriptorum re-
rum Germanicarum, a Marquardo
Frehero quondam collectorum, il-
lud eidem, ut Chronicò huius cœno-
bii quod Freherus iam habet, adiice-
retur

AD LECTOREM.

5

retur cedere maluimus. Vale! Scriptum Iena XXII. Iulii MDCC X.

Hæc igitur, quæ ex ipso Manuscripto cum apographo iterum contulimus, publico amplius inuidere noluimus, cum ad illustrandam patriæ Historiam haut parum conducant. Prius equidem Chronicon quod ab Exordio Mundi ad annum 1486 ducitur, non adeo magni est momenti, concinne satis conscriptum & plerumque vulgaria saltim, quæ in Misnensi Terra & vicina Thuringia acciderint, recensens. Auctor eiusdem videtur Ciuis fuisse Erfurtensis, cum in sæculis vltimis varia in hac vrbe gesta proponat. Præstat omnino alterum de Origine Marchionum Misnensium & Thuringiæ Landgrauiorum. Hos autem illos ipsos esse Annales Veterocellenenses, ad quos subinde prouocauit GEORGIVS FABRICIVS*, quorum et-

A 3 iam

* In Dedicatione Siffrido Prebytero præmissa : *Sunt & alia Chronicæ Misnensis, propria buius orbis. Unum, quod in clade Austriana definit nondum in Bulgus editum, scriptum lingua vernacula. Alterum, quod est Veterocellense, quod solum nomen Chronicæ Misnensis nunc obtinet : estque e Conrado Presbytero Lauterbergio, magna ex parte dossumus.*

PRÆFATIO

iam PETRVS ALBINVS * fecit men-
tionem, nullus plane dubito.

Dicit enim Albinus, quod Chroni-
con Cellense Epitome sit ex Conradi
Lauterbergii Annalibus, siue Chronicis
Montis Sereni, ad quod saepius in hoc
Chronico videmus prouocatum. Im-
mo, ex collatione satis patet, ex eodem
fuisse contractum & potissimum ea inser-
ta, quæ Misnenium Marchionum
Historiam concernant, omissa vero, quæ
Monasterii sunt Montis Sereni. Conue-
niunt ea, quæ Fabricius ex Annalibus
Veterocellensibus adlegat, cum nostro
Chronico. Sic enim de Friderico Die-
terici filio natu minori: ** Obiit Ilenbur-
gi, ut Annales Vurcinenses, die profecto E-
piphanias, ut Lauterbergii & Veterocel-
lenses.

* In der Berg-Chronic p. 10. Soleben Irrthum kam man unter andern klerlich Verstehen und beweisen, aus etlichen alten Mayßnischen Chronicen, wie denn auch aus der gedruckten (forsam legendum unge- druckten) welche man bisher die Cellische genannt hat sie für einen Auszug der Chronicen des Klo- sters Lauterberg oder Petersberg bey Halle, so von einem Ordensmann, der selbst mit Namen Conrado ge- schrieben ist, gehalten wird.

** lib. V. p. 916.

AD LECTOREM.

7

lens. Hi igitur Annales * de eodem:
*Hic moritur in sancta nocte Epiphanie
in dicto castro suo Ileberg. De De-*
done VI. ** loquitur Fabricius: *Susci-*
piens profectionem in Syriae Palæstinam re-
ligionis ergo, obiit in itinere ut nonnul-
li tradunt: sed annales Lauterbergii &
Veterocellenses domi mortuum testantur,
statim post redditum: De eodem hoc
*Chronicon: *** demum de terra Domi-*
nici sepulcri rediens, in breui sine heredi-
bus masculis moriens decessit. Idem Fa-
*bricius **** de Dieterico, Lusatiae Mar-*
chione: Dobriluchæ monasterii in Lusatia
fundamenta iacit: ut in annalibus Lau-
terbergiis & Veterocellensibus legitur. De
*eodem hoc Chronicon: ***** Funda-*
uit etiam monasterium Cisterciæ ordinis
solempne & diues, in Dobrilug imitatus
in hoc fratrem suum qui Veterem Cellam
prius fundauerat. Accedit, quod de hoc
monasterio sapienter faciat mentionem,
& sollicite adnotet, quinam ibidem
fuerint sepulti, ut igitur hi ipsi Annales

A 4

vna

* §. VII.

** lib. V. p. 537.

*** infra §. XII.

**** lib. V. p. 544.

***** §. XXI.

PRÆFATIO

vna cum Chronicō Montis Sereni inter Misnensis Historiæ fontes sint reputandi. Misnensium enim Marchionum successionem in hoc Chronicō videmus descriptam, eandemque secundum sti-
pites, siue propagatores. Harum quin-
decim facit, VVittikindi scilicet, VVig-
berti, VValperti, Theoderici, Dedonis,
Theodorici, Tymonis, Conradi, Otto-
nis, Theodorici, Heinrici, Alberti, Fri-
derici Admorsi, Friderici Seueri, Fri-
derici Strenui, cum ipsorum proge-
nie. Prouocat iste sub VValperto tertio
stipite ad Chronica de Origine Princi-
pum Marchionum, quam viderit in Se-
reno Monte Sancti Petri, quæ alia esse
videtur a Chronicō Montis Sereni, quod
Origines Marchionum Misnensium
haut pertractat. Inde *, prouocat ad
Monachi Pegauiensis vitam VViperti
Groicensis. Sub Ottone Marchione **
Ius Aduocatiæ vocat Ius Dominationis.
Sic enim Hedvigis, vxor Ottonis ad
maritum : *Cur Ecclesiæ illi (Montis Se-
reni) tantopere prodeesse conaretur, cum*
fili

* c. XII.

** c. XIX.

AD LECTOREM.

9

filii eius Ius aduocaciæ in ea habituri non essent, rectum sibi potius videri, ut ecclesiastam propriam sibi construeret, in qua tam ipsi, quam heredibus suis Ius Dominacionis in perpetuum seruaretur. Vbi de Monasterio Schyllen, hodie VVechselburg dicto, Arce Schönburgensi agit, addit: * quomodo autem istud Monasterium deuenerit ad cruciferos, plena de hoc habetur historia longa apud sanctum Thomam in Leipzig, quam ibidem perlegi. Singulare est, quod Monachus hic scribit de Theodorico, Dedonis filio :** Hic Theodoricus Marchio primus fuit Comes Palatinus & hereditario iure fertur ab Imperatore ad hoc priuilegiatus, vti in fundatione Gozzacensis Monasterii scribitur. Et ex post Marchiones Misnenses semper ascripserunt sibi istum titulum vtpote Marchiones Misnenses & Comites Palatini vel a castro Gotzsig vel Sumerschiburg, sed vtrumque hodie est destructum. Dum alias Hermannus primus ex

A 5 Thu-

* §. XXII.

** §. XXII.

10 PRÆFATIO AD LECTOREM.

Thuringiæ Landgraviis hanc dignitatem obtinuisse dicatur. In Bibliotheca equidem Lipsiensium Paulina * reperitur Chronicon ab initio Mundi vsque ad A. C. 1450. & continuatum vsque ad A. C. 1484. quod ex Bibliotheca Cellæ Veteris Lipsiam fuit delatum, ex qua aliqua adnotauit TENZELIVS ** quæ satis docent, distinctum hoc esse a nostris Annalibus.

* Reperiatur in IOACHIMI FELLERI Catalogo Manuscriptorum p. 121. inter MSCta Theologica n. XXXIII.

** Curieusen Bibliothec I. Repofitorio p. 1062.

CHRO-

**CHRONICA TERRÆ MISNENSIS
IN QVA BREVI ANNOTATIONE
RES CIRCVMCIRCA GESTÆ
COMPORTANTVR.**



Oe habuit tres filios , Sem,
Cham, & Iaphet. Ab illis
proceſſerunt LXX. genera-
tiones : propterea tempore
gratiæ Christus elegit LXX.
discipulos, quos misit prædicare per vniuer-
ſum mundum omnibus gentibus. Sem cum
generationibus suis poffedit Asiam, Cham
Africam, Iaphet Europam. Hæ sunt tres par-
tes mundi, per quas diſſeminarunt omne
genus humanum. Omissis pro nunc duabus
generationibus, ſcilicet Sem & Cham ; de ge-
nealogia Iaphet erit dicendum. Nam
Iaphet poffedit Europam , id est illam
partem mundi, quæ eſt versus Aquilonem ;
habuit enim Iaphet ſeptem filios , a qui-
bus in proceſſu temporis veneſunt quin-
decim generationis. Ab his rurſum multi-
plicatae fuerunt diſtinctæ regiones , ſcil.
Italia, Germania & Gallia : & ideo aliqui
dicebantur Italici, aliqui Germani, alii Gallici.
Qui tandem iterum multiplicati diuiferunt
Italiam in plures regiones ſimiliter & Germa-
niam & Galliam. Sed hodie in eisdem re-
gionibus ſunt plures particulares provinciæ.

III

CHRONICA

Illi enim de filiis Iaphet qui inceperunt habitare aliqui manebant inter Rhenum & Albeam & mare septentrionale, & dicti fuerunt Thuringi a duritia laborum & bellorum, & rex illorum dicebatur rex Thuringiae. Aliqui vero de Iaphet manserunt circa Rhenum & ultra usque ad mare occidentale, qui dicti fuerunt Franci, i. e. feroes ad bellandum. Hi elegerunt sibi regem, qui dictus est rex Francorum. Iterum alii de semine Iaphet habitabant prope Danubium ex utraque parte: & hi elegerunt sibi Duces. Iterum alii de semine Iaphet coeperunt habitare in Insulis Britanniae, Angliae, Frisiae, & dicti sunt Saxones. Hi elegerunt sibi regem, qui dictus est rex Saxonum. Isti reges quilibet in regno suo creuerunt multos duces, per quos victi auaritia plures terras circumcirca jacentes sibi subjugauerunt, & sic regna sua multum dilatauerunt, & tandem in pace possederunt terras eorum usque ad tempora Iulii Cæsaris, parum ante tempora Christi, euolutis quatuor millibus annorum a creatione mundi. Post foundationem itaque urbis Romæ, euolutis aliquibus annis Romani coeperunt crescere nimium in diuinitatibus, potentia, & gloria, ita ut niterentur totum mundum sibi subjugare. Audientes in Gallia & Almannia quam plures Reges, qui non curabant regnum Romanorum; miserrunt strenuissimum succem Iulium Cæsarem in Allemanniam cum innumerabili multitudo-

ne

ne, qui per decem annos ibi pugnauit, & multa strage populi ex vtraque parte facta, subdidit Romanis regna in Aquilonari parte. Et, ne amplius sibi reges eligerent, plura ædificauit castra, quæ tribuit nobilibus inibi habitantibus. In Saxonia Luneberg: In occidentalibus Iuliburg, quod nunc dicitur Ileburg. In partibus Thuringiæ Kyphusen, quasi confusio regni * Thuringiæ: In partibus Hassiæ construxit Bommelberg, & plura alia castra. Tandem cum magna gloria Romam rediit.

Anno Incarnationis Domini 28. regnante Tyberio, gens Saxonum habitans in Anglia, Britannia & Frisia, audiens Thuringos non habere regem, neque ducem, cupiditate victa cum rege suo misit multos duces per mare occidentale ad expugnandam Thuringiam. Et venerunt ad partes illas, ubi nunc est Lübeck, Rostock, Svvidiz, & aliæ ciuitates his confines. Ibi Saxones pugnauerunt contra Thuringos, & ex vtraque parte multi sunt interempti. Quia Thuringi duri ut ferrum, dicitur enim *Thuringus* quasi *durus nicus*; *Saxones* vero *solidi* ut *Saxum*, & insimul fortiter pugnauerunt. Tandem Saxones obtinuerunt victoriam; & sic Saxones possederunt terram, quæ nunc dicitur Saxonia, & Slaviam. Plures vero Thuringi subdiderunt se illis, alii vero nobiliores fugerunt, & terram quam nunc inhabi-

* Vnde hoc castrum vocatum fuerit Castrum Confusonis, demonstravi in Histor. Archiu. p. I. p. 17.

CHRONICA

habitant Thuringi, scil. inter nemus francum & Hartonem i. e. *Harz*, possederunt, & ibi ædificauerunt ciuitates, villas, & castra, quia locus fertilis erat, vt hodie comparet. Ibidem elegerunt sibi Iudices, & seipso rexerunt per quadringentos quasi annos & ad Franconiam, Hassiam, Misniam, multum ampliauerant terminos suos, & diuiniis & potentia profecerunt.

Anno Domini 428. regnante Theodosio Imperatore, Romani coeperunt deficere diuiniis, potentia &c. Franci autem coeperunt crescere; quapropter officiales Romanorum vbiue expulerunt, & iterato sibi regem creauerunt, qui in breui omnes prouincias Galliae, a mari usque ad mare, s^o subiugauit imperio. Hoc audientes Thuringi etiam sibi elegerunt Regem, cognatum Regis Franciæ, nomine Mervvigum, qui construxit castrum nomine Mervvigisburg in monte sancti Petri, vbi nunc est monasterium S. Petri in Erfordia. Iterum ædificauit aliud castrum, vbi nunc est Ecclesia sancti Dionysii prope Bischofsleben, qui locus hodie dicitur Movvirsberg. Post Mervvigum regnauit Basinus, post Basinum Irnefridus. Mortuo primo rege Francorum successit ei filius suus Hidericus, cui successit Clodoueus. Eo mortuo, reliquit quatuor filios; hi diuiserunt regnum Franciæ inter se. Vnus ex his nomine Theodoricus possedit totam terram circa Rhenum, & sedem regni locauit

cauit in Metis, i.e. Mez: & illius sororem duxit Irnefridus rex Thuringiæ. Hic Irnefridus aspirauit ad regnum fororii sui; quod intelligens Theodoricus, cuius sororem habebat, adiunctis sibi Saxonibus, cum magno exercitu intravit Thuringiam, & per tres dies pugnauit, fugauitque Irnefridum. Qui fugiens in Schydingen interfectus est a suis consiliariis. Audientes Thuringi mortem regis eorum, subdiderunt se regi Theodorico anno Domini 520. & quia Saxones iuuerunt eum: ideo Theodoricus rex dedit duci Saxonum, quicquid ultra aquam Unstrut situm est, versus montana Hartonis. Hanc terram multis annis possederunt Saxones, & ædificauerunt ibidem castrum Saxenberg. Anno Domini 534. Saxones expulsi rursum fuerunt de illa terra per Thuringos.

Mortuo rege Theodorico Francorum & Thuringiæ sine liberis, successit ei Hilpertus frater suus. Quo mortuo successit ei filius suus Lotharius: cui Dagobertus, qui solus rex Franciam & totam Almaniam, excepta Saxoniam, quæ sibi non parebat. Hic Dagobertus destruxit castrum Mervvigisburg Erfordiæ, & ædificauit monasterium S. Petri in eodem monte, ædificauitque castrum Thaberstadt prope Erfordiam. Quo mortuo regnauit Clodouæus & plures alii usque ad Pipinum Patrem Caroli Magni.

Pipinus R^ex Franciæ & Alemanniæ
fecit

fecit creari Sanctum Bonifacium in Archi-episcopum Moguntinensem. Hic Bonifacius fundauit ecclesias multas sub rege Pipino, & conuertit Bauariam ad fidem. Vnde in Bauaria fundauit Ecclesias Salzburgicam, Frisingensem, Ratisbonensem, Patauiensi, Eychstättensem. Item in Franconia Herbipolensem In Thuringia Erfordensem S. Marie. In Hollandia Traiectensem & multa alia fundauit in diuersis partibus. Defuncto Pipino successit ei filius suus Carolus primus, qui datus fuit Magnus, propter magnifica quæ gesit. Hic subjugauit sibi Saxones in Anglia, Britannia, Frisia & Saxonia, cum quibus per 40. annos pugnauit. Qui tandem factus Imperator, a summo Pontifice Romæ coronatus est. Hic cum regnasset 35. annis senio confectus, mortuus, Aquisgrani sepelitur Cui filius Lotharius successit in regno, scil. rex per totam Alemaniā. Quo mortuo succedit ei Ludouicus frater suus rex & Imperator. Post hunc Lotharius rex & Imperator. Post hunc regnauit frater eius Carolus secundus, qui factus Imperator voluit exhaeredare filios fratris sui, frustratus est. Tandem consilio ac suasu multorum reliquit totam Alemaniā filii fratris sui, qui eam diuiserunt inter se. Nam senior Colomannus nomine accepit in sortem suam Bauariam, Sueviam, Austria, Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam, Morauiam, & alias regiones circa Danubium:

TERRÆ MISNENSIS. 17

& vocabatur rex Dantabii vel superioris Alemaniæ. Secundus frater nomine Carolus accepit in sortem totum Rhenum & circumcirca jacentes partes, & nominabatur rex Teutoniæ. Tertius frater Ludovicus accepit in sortem Thuringiam, Franconiam, Hassiam, Misniam, Saxoniam, Marchiam, Slaviam, Frisiām, & vocabatur rex Albiæ & Thuringiæ, & posuit sedem suam in Thuringia, in castro Iochburg, vbi nunc est quoddam Collegium, & Capella beatæ Mariæ virginis ædificata, quæ mansit castro destructo.*

Mortuo Ludovico Rege Albiæ & Thuringiæ, filius eius Carolus 3. ædificauit ciuitatem Carlstatt. Qui factus Imperator & coronatus Romæ, elatus est in tantam superbiā, ut omnes reges in Alemania & regna immutaret, exhæredaret, nomenque regium vbi-que tolleret: fecitque pro eis Ducatus. In Polonia, Austria, Bauaria, Suevia, Bohemia, Saxoniam, Thuringia, Hassia, Westphalia, Brabantia, Lotharingia, & Franconia. Sed in Brandenburg & Misnia constituit Marchiones & Marchionatus. Tandem propter suam superbiā contemtus fuit a prædictis ducibus omnibus, venitque ad tantam miseriā, ut pane egeret. In illius temporibus mulier fuit Papa Romæ, dictus Iohannes: qui celebrauit Synodum Erfordiæ.

B. VADOC. Caro-

* Vid. OLEARIVS Rer. Thuring. Synt. p. 94.

CHRONICA

Duces
Thuringia

Carolus iam dictus faciens duces & ducatus, fecit Ludouicum consanguineum suum ducem super duos ducatus, scil. Thuringiam & Hassiam. Hic Ludouicus fundauit Hildesheim & Korbicke, sicut pater suus Fuldam & Hersfeld. Quo Ludouico mortuo successit ei filius suus Ludouicus: cui equidem filius Burchardus successit. Sub cuius regimine multa millia Hungarorum intrauerunt Alemanniam; quibus occurrerunt duces Bauarorum, Suevitæ, Saxoniæ, & Thuringiæ.

Anno Domini 972.* commissum est bellum magnum, in quo multa millia Hungarorum interemta sunt: & tertius dux Thuringiæ scil. Burchardus interiit sine heredibus. Tunc Ducatus devolutus fuit ad Heinricum ducem Saxoniæ eius consobrinum, tunc Imperatorem, patrem Ottonis M. Hic Heinricus dux Saxoniæ & Thuringiæ ac Imperator, ædificauit Civitatem Goslariam, & Abbatiam in Quedlinburg. His temporibus redierunt Hungari in Alemanniam, & intrauerunt Thuringiam, & obfederunt castrum principale Eichenburg cum quinquaginta millibus armatorum. Quod audiens Heinricus Imperator, collecto magno exerci-

* Hunc errorem etiam errauit AVCTOR HIST.
LANDGRAV. THVRINGIÆ, cum Burcardus anno 909. fuerit occisus, nec consobrinus fuit Henrici, Saxonie Ducis, prout iamdum notauit PFEFFINGER. ad Vitriarium lib. I, Tit. XVI. p. 214.

exercitu, turpiter eos fugauit, & multos occidit. Tandem in pace quieuit.

Otto filius ducis prædicti regnauit post eum, & factus est Imperator. Hic ædificauit ciuitatem Magdeburgensem, & Ecclesiam cathedralem in ea fundauit. Hic etiam Wilhelmum filium suum fecit Archiepiscopum Moguntinensem, & dedit ei ducatum Thuringiae & Hassia: Et sic Episcopi cooperunt regere Hassiam & Thuringiam. * De functo Wilhelmo successit ei Rupertus; cui Willusus: cui Erkenboldus, Abbas Fuldensis: cui Erbo: cui Bardo, primus Abbas Hirschfeldensis. Hi omnes Archiepiscopi Moguntini successiue rexerunt Hassiam & Thuringiam, annis fere septuaginta, vsque ad Conradum Secundum Imperatorem.

Archiepiscopi Moguntini.

Anno Domini 1025. Conradus Imperator Francigena duos habuit consanguineos, Hugonem & Ludouicum fratres, ex stirpe regia Franciæ genitos. Hugo in Curia Archiepiscopi Moguntini cum filio suo defunctus est; & sic omnia bona eius deuoluta sunt ad Germanum suum Ludouicum, qui tunc fuit in curia Imperatoris. Imperator vero Conradus diligens Ludouicum cognatum suum, volens sibi providere de beneficiis, misit ad Archiepiscopum Moguntinum Bardonem, mandans

B 2 ei,

* vid. SYNT. HIST. GERM. diff. XXI. §. XXX.

ei, vt amore sui, & propter seruitia Hugonis, conferret Ludouico aliqua beneficia in diecessi sua in feudum. Episcopus vero faciens voluntatem Imperatoris misit Ludouicum in Thuringiam, & ipsum fecit vicarium suum,

*Restitutio
Ducum.*

conferens ei multa beneficia iure hæreditario. Qui veniens Thuringiam a. Domini 1027. placuit omnibus nobilibus, & bene rexit terram, ædificando plures villas in locis prius desertis, & castra plura construxit. Tunc ædificatum fuit monasterium Scotorum in Erfordia a nobili viro Vdalrico de Glisberg. Item Ludouicus dicebatur Ludouicus cum barba, quia communiter longam ferebat barbam: & coepit multum ditari, quia accepit nobilem dominam de Sangerhusen, quæ dedit sibi septem millia mansorum cum multis aliis bonis iure hæreditario. Hic habuit tres filios & tres filias. Primus filius nomine Patris est vocatus Ludouicus; hic post ipsum rexit Thuringiam. Alius Berengarius, qui possedit Sangerhusen; Tertius Raspon, qui construxit castrum Raspenburg & habitauit ibidem. Prima filia duxit Comitem de Henneberg: Secunda comitem de Linderbechi tertia permansit virgo. Hic Ludouicus tam gratus omnibus nobilibus fuit, quod appellarunt eum **Comitem**, & rexit Thuringiam triginta annis. Contigit eum semel venire ad congregacionem principum in Moguntia, & mortuus est ibidem.

Anno

Anno Domini 1055. primogenitus prædicti Ludouici cum barba coepit esse comes Thuringiæ. Huius temporibus Fridericus comes

Comites
Thuringiæ.

Palatinus Saxoniæ habitauit in partibus orientalibus, quæ confines sunt Misniæ in castro Schippliz, & habuit pulcherrimam vxorem Adelheydem, filiam Ducis Saxoniæ, cui ardenti amore adhæsit Ludouicus prædictus secreta. Quæ amore illius capta suasit ei, ut maritum eius occideret, & ipsam duceret in vxorem.

Quod factum fuit ex practica mulieris in quādam venatione. Occiso comite Palatino, Ludouicus duxit Adelheydem in vxorem anno Domini M LXII. & genuit ex ea Ludouicum primogenitum, & Ottonem Episcopum Zeizensem. Iste Ludouicus ædificauit castrum Wartberg prope Isenach ; item castrum Numberg, & fundauit castrum subtus Fryburg. Idem Ludouicus filius Ludouici cum barba, poenitentia ductus ædificauit tria monasteria : scil. Reinhartborn, Schippliz, & Sangerhusen. Similiter & mulier eius poenitentia ducta ædificauit monasterium in Aldisleben. Eodem anno Episcopus Bremensis, frater Friderici prædicti interfecit, & alii amici querelas fecerunt Heinrico Imperatori quarto, de intersectione dicti comitis contra comitem Ludouicum. Qui iussu regis captus per insidias in castro Gebichinsteine, per bienium fuit detenus ; & fuisset ibidem imperfectus, nisi mer-

B 3 tis

CHRONICA

tis sancti Vdalrici miraculoſe fuifſet liberatus: cui deouuit ædificare Eccleſiam in Sangerhuſen ciuitate fratriſ ſui Berengarii. Nam tempore congruo adductis ſibi duobus equis, faltauit in ueste ampla de ſuperiori coenaculo, flante vento, vsque in aquam Salam, quæ ſubtus caſtrum fluit. Et ſic euafit meritis sancti Vdalrici. Huius temporibus Papa Gregorius excommunicauit Heinricum Imperatorem, & propter ſuam infidelitatem cum etiam de imperio depoſuit. Audientes Alemani, elegerunt alium Imperatorem dictum Rudolphum. Inde plura emerferunt bella. Heinricus enim perſequebatur Rudolphum. Primum bellum commiſſum eft in Thuringia iuxta Hamberg. Secundum in Franconia iuxta Mollerſtadt. tertium in Thuringia iuxta villam Fladichen. Quartum in Misnia iuxta flumen Elſtra, vbi Rudolphus electus rex fuit occiſus. Quintum in Thuringia prope caſtrum Gleichen, vbi Heinricus rex fuit territus & repulſus. Hæc controuersia durauit quaſi viginti annis. Poſt hæc iterum captus fuit Ludouicus per Heinricum Imperatorem in Moguntia, & iterum poſt biennium liberatus. Tandem anno Domini 1123. moritur & ſepelitur in Reinhartſborn.

Anno Domini 1090. Heckenbertus filius Dedonis Marchionis de Landisberg, fundator caſtri Ebersberg, & Monasterii sancti Georgii in Numben in quodam molendino turpi-

TERRÆ MISNENSIS.

23

turpiter occiditur. Ludouicus tertius filius secundi Ludouici, gener Lotharii, Ducis Saxoniae*: & Imperatoris, ab eodem Imperatore factus est Landgravius Thuringiae & Hassiae. Huius primi Landgravii filia Adelheidis construxit monasterium S. Nicolai intra muros Eisenach, & in eodem religiose visit ad tempora vitæ suæ. Hic Ludouicus anno Domini 1149. ** obiit, & sepultus est in Reinhartsborn. Ludouicus secundus Landgravius Thuringiae & Hassiae, & quartus in ordine, anno Domini 1150. duxit filiam Conradi Ducis Sueviae tunc Imperatoris, quo Imperatore defuncto Fridericus filius eius successit ei. Qui primo fuit piissimus, & postea factus est impiissimus, & a Papa excommunicatus, & ab Imperio absolutus. Iussu autem huius Imperatoris Friderici, Landgravius Thuringiae impugnauit Erfordenses, & in odium ac contumaciam Episcopi Moguntini muros ciuitatis Erfordensis funditus euerdit. Hic Ludouicus fuit multum pius & benignus, & ideo a suis nobilibus contemtus, vilipensus, ac tanquam inutilis, & effoceminatus reputatus. Ille ergo

B. 4

irri-

* licet de hoc dubitet FELLERVS. Monum. ineditis Trism. IX.

** in hoc anno emortuali iterum cum AVCTORE HIST. LANDGR. THVR. c. XVIII, errant nostes cum potius a. 1140. fuerit defunctus, PFEFFINGER c. l. p. 231.

irritatus ac prouocatus contemptu contra omnes eiusmodi ingratos bellum instaurauit, & eos cepit, non tamen interfecit, sed pro tanto humiliauit, ut compelleret eos sub manibus flagellantium, in modum equorum ad arandum integrum agrum propriis corporibus: ita ut semper loris equinis impliciti quatuor unum sulcum vel lineam facerent: propter quod multum timebatur ab omnibus. Hic semper armatus incessit, unde dicebatur Landgrauius ferreus. Idem in castro Nürnberg existens, in lecto ægritudinis vocauit ad se nobiles suos rebello, dicens eis: Ecce ego morior, & viam vniuersæ carnis ingredior; vobis autem sub poena suspendii præcipio, ut cum mortuus fuero, corpus meum cum omni reverentia in humeris vestris portetis abhinc usque ad Reinartsborn. Quod sibi fideliter promiserunt, & adimpleuerunt, timentes, ne simularet se mortuum, & eos taliter tentare vellet, an prompte obedire vellent. Ludouicus prædictus anno Domini 1153. reliquit tres filios. Primogenitus dictus est Ludouicus, qui sibi successit in principatu: secundus Hermannus & comes Palatinus Saxoniae; tertius primus comes in Zigenhayn. Anno igitur primo Landgrauii tertii, Ludouici autem quarti, orta fuit magna discordia inter ipsum Ludouicum & Erfordenenses, quæ tamen per Fridericum Imperatorem sedata fuit. Hic Ludouicus construxit Ecclesiam S. Georgii in Eisenach. Et tandem cruce signatus

signatus cum Imperatore Friderico prefectus est ad terram sanctam contra infideles: ubi etiam ambo sunt mortui. Ossa autem Ludouici reportata fuerunt, & sepulta fuerunt in Reinhartsborne. Obiit autem sine heredibus, ideo frater eius Hermannus, comes Palatinus, successit ei in principatu. An. Domini 1193. Hermannus Landgravius Thuringiae, filiam suam desponsauit Theodorico, filio Ottonis Marchionis Misnensis, sicque discordia longo tempore inter eos habita fuit sedata. Hic Theodoricus fundator fuit Canonicorum regularium in Leipzig apud S. Thomam. Lippenses obliiti omnis honoris & fidei, praestitique homagii, opposuerunt se feudali ac naturali Domino suo Theodorico, Marchioni. Et ciues expulerunt primum praepositum S. Thomæ, dicentes ipsum esse causam discordiæ, & multa damna intulerunt monasterio, specialiter in lignis aptatis ad ædificia monasterii. His temporibus fecit quoddam monasterium monialium in loco dicto Leo, quod propter penuriam aquæ transferebatur ad ciuitatem Leipzig; eo modo, ut habitarent iuxta Ecclesiam S. Petri, quod & factum est; quo usque princeps cum suis ac aliis Prælatis deliberaret, ubi conuenientius monasterium ipsum fundaret. Facta itaque deliberatione, conclusum est communiter: ut deberent habitare iuxta monasterium S. Thomæ, vtque haberent chorum iuxta chorum canonicorum regularium ibidem, explen-

do diuinum officium insimul : quia magnæ vi-debatur deuotionis , si Deus in excelsis cum sanctis suis, laudaretur ab vtroque sexu in vno monasterio omnibus horis canonicis, igno-rantes, quod inimicus omnium bonorum sub forma sanctitatis infundit saepe venenum mul-torum vitiorum. Consenserunt super his Episcopus Merseburgensis, ciues, præpositus, o-mnesque canonici, duobus exceptis, religiosis viris, perpendentibus insidias hostis humani generis. Ministrat enim amaritudinem fellis, sub gustu dulcissimi mellis. Cum hi duo non possent resistere voto communii, accesserunt Metropolitanum Episcopum Magdeburgen-sem, exponentes illi omnia prædicta. Qui con-siderans multa mala posse evenire, quando mu-liebris sexus iungeretur masculino ita propin-que , cantando & legendo , inhibuit per lite-ras Episcopum & Præpositum, ne admitterent talia fieri : & sic extra muros ciuitatis, vt hodie cernitur, ædificatum est.

Anno Domini 1195. obiit domina Sophia vxor Hermanni, Landgrauii Thuringiae. De post duxit vxorem aliam æquiuocam , Sophiam nomine, filiam Ducis Bauariæ : ex qua genuit quatuor filios, scil. Ludovicum primogenitum, Hermannum, Heinricum, & Conradum : & filiam vnam Hermogardim nomine, quæ nu-pliit comiti de Anhalt ; & aliam Agnetem quæ duxit Ducem Austriae. Hic Hermannus mul-tas gweras habuit cum comitibus de Gleichen,

de

de Schwarzberg, & cum Erfordiensibus. Huius temporibus famæ valida fuit per omnes terras tribus annis. Anno Domini 1211. Hermannus Landgrauius Thuringiæ misit solemnes nuntios in Hungariam, pro sancta Elisabeth desponsanda filio suo Ludouico: quæ in Thuringiam ducta fuit anno ætatis suæ quarto: Anno vero 1215. obiit idem Landgrauius Hermannus in Gotha, & sepultus fuit in Eisenach, ad sanctam Catharinam extra muros, quod monasterium ipse antea fundauit. Anno dehinc sequenti obiit idem Landgrauius Hermannus adolescens, & ipse ibidem sepultus fuit. Anno Domini 1221. celebratae sunt nuptiæ Ludouici & Elisabethæ beatæ. Eodem anno moritur Theodoricus Marchio Misnenfis, fundator monasterii S. Thomæ in Leipzig; relinquens superstitem filium suum Henricum, trium annorum ætatem habentem: Cuius tutor fidelissimus extitit prædictus Ludouicus, qui terram Misnensem, ut tutor, optime rexit. Anno Domini 1223. beata Elisabeth peperit filium suum primum Hermannum. Eodem anno Agnes Soror Ludouici, quæ nutrita erat cum beata Elisabeth in Wartberg, celebravit nuptias cum Duce Austricæ. Anno 1224. beata Elisabeth peperit filiam, nomine Sophiam, quæ postea duxit Ducem Brabantia. Anno sequenti iterum peperit aliam filiam simili nomine, quæ habitum religionis assumpsit in Kizingen, & ibidem quiescit.

Alia

noup

CHRONICA

Alia plāta de Ludovico & sancta Elisabeth re-
quire in libello de vita eius.

Anno Domini 1236. Henricus, Marchio
Misnensis duxit Constantiam, filiam Ducis Au-
striae. Cum qua particula sanctae crucis
Domini nostri IESU Christi erat sibi data, quæ
hodie nra die in Dresden, oppido Misnensi in
magna habetur veneratione, non sine miracu-
lis diuinis usque hodie, omnibus invocantibus
& venerantibus eam. Anno Domini 1232. Si-
fridus, Moguntinensis Archiepiscopus citavit
Abbatem de Reinhartsborn in Erfordiam, &
ipsum turpiter confudit, quia nolebat sibi dare
exactionem, quam a monasterio exigebat. Hoc
videns Conradus frater Henrici Landgravii
Thuringiae, qui simul dominabantur evagina-
to gladio irruit in Episcopum in Ecclesia bea-
tae virginis Erfordiae, & nisi per alios impedi-
tus fuisset, ipsum occidisset. Propter quod
idem Conradus congregato exercitu magno
obsedit ciuitatem Wecslariam. Vbi mulieres
ascenderunt muros ciuitatis & detexerunt pu-
dibunda ipsum deridendo. Et ideo amplius
commotus succendit ciuitatem, & totaliter de-
struxit, nemini parcens, nec Ecclesiis, nec homi-
nibus. Quapropter poenitentia ductus intra-
uit ordinem Teutonicorum & multum religio-
se viuens impetravit canonisationem sanctæ
Elisabeth: postea in pace quietuit, in Wartborg
sepultus.

Eodem anno Henricus Landgravius, qui
quon-

quondam expulit sanctam Elisabeth, solus reli-
ctus in Dominio, duxit vxorem filiam Ducis
Austriæ. Hic Henricus anno Domini 1245. in
Frangfort fuit electus in Romanum Imperato-
rem, sed antequam esset coronatus, reversus in
Eisenach, mortuus fuit, & apud Patrem suum
sepultus, ad S. Catharinam ibidein; & mortuus
est sine hærede. Inde multa mala exorta sunt
in Thuringia & Hassia, quia nobiles inter se
nullo suffragante jure divisorunt sibi aliqua ca-
stra. Sed quædam Ciuitates fauentes filiæ Eli-
sabeth, vocauerunt eam, & tradiderunt ei plu-
res ciuitates. Aliæ vero ciuitates fauentes
Henrico Misnensi Marchioni, sororio prædicti
Landgrauii defuncti, vocauerunt eum, & plures
ciuitates dederunt se ei. Sed quibusdam pla-
citis interpositis: *Ducissa* Brabantiaæ. quicquid
iuris haberet in Thuringia, dedit ad fideles ma-
nus Henrico Marchioni Misniæ, consobrino
suo, ne dominium transiret ad extraneos.
Anno Domini 1253. Domina Sophia filia S. Eli-
sabeth itorum veniens ad Thuringiam cum fi-
lio suo, repetiit partem terræ Thuringiæ ab
Henrico Marchione Misnensi, sed nihil obti-
nuit, nisi solam civitatem Eisenach; & sic in
terram Hassiæ indignans revertebatur. Videns
autem, quod propositum suum non posset con-
sequi, accersit in auxilium sui Ducem Brunsvi-
censem Albertum: qui veniens in Thuringiam
cum magno exercitu, multa mala intulit ciuita-
tibus & villis. Et domina Sophia ædificauit

tria

CHRONICA.

tria castra cum adiutorio ciuitatenium; Eisenach contra Wartberg contra Henricum Marchionem, qui habuit Wartberg in possessione. Metterstein, Ysenberg, Frauenberg.

Anno 1261. dictus Marchio Henricus destruxit praedicta tria castra & cepit Eisenach, vindictam posuit in aliquos ciues, qui sibi fecerant resistentiam iniustam & plures ex eis interfecit.

Anno Domini 1263. præfatus Albertus, dux Brunsvicensis, ad complacentiam dominæ Sophiæ ducissæ Brabantiae, collecto exercitu, non solum in Thuringia, sed etiam in terra orientali & Misnensi, Henrico Landgrauio plurima damna intulit: quinimo Ecclesiæ Merseburg & Magdeburg durissime inuasit. Hoc audiens nobilis vir Rudolphus pincerna Varila cum centum armigeris venit in Leipzig, invenitque ibidem duos filios Heinrici, Albertum, & Theodoricum, absente patre eorum. Hic Rudolphus cum his duobus filiis Heinrici congregauit exercitum magnum, & bellaverunt contra ducem Albertum a mane usque ad horam nonam. Ibidem dux Albertus dure vulneratus & captique fuit: captique cum eo Heinricus comes de Anhalt, Henricus comes de Zwern,* Iohannes Comes de Eberstein: & quingenti & quinquaginta electi armigeri, cum electis armis

* Sueria.

TERRÆ MISNENSIS.

31

emis & equis. Cum igitur Dux iste ita cum suis staret in captiuitate, factæ sunt placitationes & tractatus inter Marchionem Henricum & ducessam Brabantia hunc in modum: ut dux Albertus deberet dare pro redemptione sua octo ciuitates Hassiæ, scil. Eschue, Altendorf, & reliquas prope flumen Werre, quæ ad Ducatum Brunswicg tunc pertinebant. Et cum hoc deberet dare octo millia marcarum argenti. Fuit etiam conclusum, quod domina Sophia cum filio suo deberet pro omni iure suo, quod haberet vel habere posset in tota Thuringia, in ius, proprietatem & dominium suum assumere has octo civitates. Sicque discordia sedata est, quæ durauit nouem annis: & tota Thuringia deuoluta est ad Heinricum & ad filios suos.

Anno Domini 1265. Marchio Henricus senio confectus divisit se cum filiis suis. Nam sibi ipsi retinuit terram Misnensem: Friderico filio suo dedit terram orientalem, & Marchionatum Lusatiae & Landisburg: Alberto vero filio suo dedit Thuringiam. Albertus vero Landgravius Thuringiae genuit duos filios, scil. Tizmannum & Fridericum, ex domina Margaretha, Friderici quondam Imperatoris filia. Anno Domini 1265. hic Albertus multum persequebatur dominam Margaretham propter quandam pedissequam & concubinam ejus nomine Kunne von Ysenberg, quam dilexit. Do-

Thuringia
deuolutur
ad Mar-
chiones
Misnenses.

mina autem Margaretha sentiens sibi propter hoc posse mortis periculum imminere, deosculatis filiis suis paruulis, nocturno tempore, submissa per murum castri Wartberg cum funibus per manus sibi fidelium, ducta est in Kezenberg: ubi Abbas Hersfeldensis cum magna eam reverentia suscepit, conduxitque in Fulda, ubi cives sentientes eam fuisse filiam Imperatoris cum solennitate eam suscepserunt, & ibi per annos aliquot mansit, & feliciter obiit, sepulta ibidem.

Anno Domini * Episcopus Magdeburgen-sis cum fratre suo Marchione Brandenburgen-^fi Thuringiam intraverunt, quos Albertus Landgravius turpiter fugauit. Propter quam confusionem Episcopus in dolo se composuit cum Landgraviio, fingens se amicum eius, & aliquot annis transactis, vocauit Landgravi-um Thuringiae Albertum, & fratrem eius, Theodoricum Marchionem ad obsidendum quoddam castrum, & venerunt bona confiden-tia. Tunc nocturno tempore Episcopus irruit super eos in tentoriis & lectis suis iacentes, & cepit eos cum multis militibus, comitibus, & Baronibus de Thuringia, & de terra orientali, plusquam ducentos. Albertus vero Land-gravius in propria persona ibi non fuit, sed misit filium suum Fridericum, qui captus fuit, sed nocturo tempore, quodam alio sibi coope-rante

* Hic annus in MSto omissus est.

TERRÆ MISNENSIS.

33

rante euasit. Anno Domini 1281. magna discordia orta est inter Albertum & filios suos Fridericum ac Tizmannum propter persecutionem matris mortuæ, & propter concubinam Kunnen von Ysenburg, superinductam. Tunc Erfordenses & aliqui comites ac nobiles adhærebant Alberto: reliqui vero comites & nobiles adhærebant filiis. In hac gwerra semel captus fuit unus ex filiis per comitem de Keuernberg, & præsentatus Patri, atque per annum detentus est in castro Wartberg. Sed postea familiares sui nocturno tempore intrantes castrum eripuerunt eum, & spoliauerunt castrum omnibus, quæ secum asportare poterant. Idem Albertus post captionem fratris sui & filii, in huius sceleris vindictam, intravit Saxoniam, & destruxit castrum Werben, & Tuch expugnauit & destruxit. Anno Domini 1282. obiit Theodoricus, Marchio de Lusatia, & Landisberg, filius Henrici senioris Marchionis Misnensis, relinquens filium Fridericum, Tuto cognominatum qui, temporibus aliquantis transactis, litigauit cum Episcopis Numburgensi & Merseburgensi. Moritur tandem sine hærede. Cui successit in principatu Tizmannus patruus, filius Alberti, & frater Friderici. Ann 1287. durante adhuc discordia inter Landgrarium & filios, Rudolphus Rex intravit Thuringiam, & pacificauit eos. Tamen non obstante pace, Albertus dolens de malis a filiis sibi illatis volens eos exhæredare, vocauit

C

fili.

filium suum Albertum natum de concubina scil. de Künnen von Ysenberg quem legitimari sibi fecit, dedit sibi quam plura castra cum omnibus ad ipsa pertinentia, & alia multa plura sibi dedisset in damnum filiorum, nisi Domini terræ restitissent. Eodem anno mortuus est senior Marchio Henricus Misnensis, pater Alberti, qui octoginta erat annorum sepultus in Altenburg. Cui successit in principatu Fridericus qui cepit Albertum patrem suum, sed intercessione principum aliorum & nobilium, specialiter Rudolphi regis, restitutus fuit libertati. Anno Domini 1290. praesente Rudolpho rege in Erfordia Albertus Landgravius Thuringiae in festo dedicationis Ecclesiae S. Mariæ in monte S. Petri, creavit 16. novos milites, & singulos singulis gladiis & cingulis deauratis cingens, dedit multa bona terræ suæ, in odium filiorum suorum.

Anno Domini 1294. Albertus Thuringiae Landgravius rursum in odium filiorum suorum vendidit principatum Thuringiae Adolpho regi Romanorum qui successit Rudolphi iam mortuo. Sed ambo filii Alberti contradixerunt, nec consentire voluerunt. Quare Adolphus rex in breui post hæc potenter intravit Thuringiam, ad possidendum eam, & multi nobiles consenserunt ei; alii nihilominus multo plures adhæserunt filiis, & resistierunt fortiter. Quod videns rex, congregavit magnum exercitum, & multa commisit in Thuringia, rapinis, spoliis,

&c

& incendiis, nemini parcens. Post hæc rediens Adolphus rex, ad partes Rheni, denuo congregauit exercitum in curribus & equitibus, & intrauit orientalem & Misnensem terram, quam possidebant filii Alberti. Deuastauit autem ille multas civitates & villas, incendiis & rapinis, & nulli pepercit. Et adiunctæ sunt eis aliquot ciuitates, præsertim Lipzig, quæ consensit Adolpho. Borne adustum fuit, & multæ aliæ ciuitates deuastatae. Pleræque tamen adhæserunt Suevi, qui etiam multa castra posseiderunt. Et sic isti dilecti principes fugati sunt a terra per malitiam patris infesti, & Regis Adolphi potentiam. Circa principium hyemis multi Suevi ex frigiditate perierunt, multi etiam occisione sunt occisi. Ipsi denique Suevi iam potentes in terra mulieres & virgines constuprabant, & multas passim impudicitias exercebant. Hanc nimirum iniuriam vindicauerunt illi de Raspenberg, qui eiusmodi nebulones viriliter expulerunt de terra. Altero dehinc anno venit iterum Adolphus rex ad orientalem terram, in ciuitatem Altenburg, ubi direxit pro Marchione Friderico. Qui venit sub conductu, & tamen falso conductu. Tum multitudo Sueorum extemplo venit ad hospitium eius, volens eum contra ius gentium in mensa interficere, quod tamen Deus omnipotens auertebat, nec permisit. Nam interfecerunt unum ciuem, qui secum venerat de Freiberg, & Camerarium Marchionis, ipse tamen adiuuante Domi-

no, licet difficulter, euasit. Eodem anno Adolphus rex venit in Freiberg, & statim cum suis honeste acceptus est, & destruxit castrum, & captiuavit eos, qui habebant eius custodiam, destruxerunt & muros civitatis. Suevi etiam per ruinas murorum castrum irrumpentes, ex fidelibus Marchionis sexaginta quasi viros comprehendenterunt, quos rex illico interfecit, expugnauitque turres omnes, & ciuitatem sibi plene subegit. Marchio autem Fridericus cum fratre suo, pro redemptione suorum fidelium militum adhuc viuentium dedit omnem terram suam. Taliter Fridericus circumuentus cum tribus tamen euasit, relinquens miserabiliter terram in manu aliena, non habens exercitum, nisi tres tantum viros. Rex vero Adolphus commisit Alberto patri eius terram, & pluribus aliis hinc inde de Suevia, secessitque propter regni negotia iuxta Rhenum. Sicque alieni dominabantur terrae Misnensi. Vtpote Comes de Aschue cum uxore, filiis, & omni sua familia, possedit Oschaz, & multi alii hinc inde patrimonium Marchionum occupauerunt. Tandem miserante Domino, Marchio sic expulsus a terra sua, collegit ad se quosdam viriles & impetrertos socios, cum quibus audacter prium castrum Roehliz noctu præoccupauit. Vnde violenter expulit Rheinenses & Suevos. Postea ambo fratres, Tizmannus & Fridericus congregatis ad se viris virtutis, absconderunt se in nemore iuxta Oschaz, atque comitem de Aschue

A schue prætereuntem viriliter inuaferunt, prostrauerunt, & cum viginti quatuor sociis ceperunt, coegeruntque eum reddere captiuos nobiles de terra Misnensi, & ciuitates Olschaz, Gythan, Debelum, Barum, cum castro Lichtenwalde. Attamen idem comes retentus fuit obstrictus, quo usque alia plura in Thuringia redderet; sed promissum non tenuit: imo mendose contra datam fidem euasit. His temporibus Adolphus rex iuxta Wormatiam propter suam tyrannidem fuit interemtus a duce Austriae Alberto, filio Rudolphi quondam regis: ideo eodem anno fuit in regem Romanorum electus. His etiam temporibus moritur Kunne von Ysenburg, concubina Alberti, post illam accepit & aliam vxorem Albertus, relictam Comitis de Arnschau, pecuniam multam habentem, Adelheiden: & Fridericus filius eius tunc Marchio Misnensis accepit filiam eius Adelheidem, virginem pulcherrimam in uxorem, vnde Adelheidis vxor Alberti multum dilexit Marchionem ipsum propter filiam, quam duxerat in uxorem. Anno Domini 1306. Fridericus & Tizmannus multum infestauerunt Thuringiam, volentes rehabere dominium, quod vendiderat pater eorum regi Adolpho, & impugnauerunt Eisenach, eo quod consenserant venditioni, & adhaeserant regi Adolpho. Hoc audiens rex Albertus misit magnum exercitum in Thuringiam contra Marchiones, qui multa mala inferebant terræ, quos Marchio-

nes fugabant de terra. Eisenach vero timebat Marchiones filios Alberti, atque castrum in ciuitate, de licentia Alberti Landgrauii, funditus destruxerunt, & reædificarunt castrum Eisenburg contra castrum Wartburg. Sed quia domina Adelheidis Landgrauia multum dilexit Fridericun propter filiam eius, quam duxerat in vxorem, ideo ordinavit, quod idem Marchio Fridericus castrum Wartburg obtinuit. Quo obtento patrem suum inde fugauit, & de tota terra. Qui factus est præbendarius Erfordensis, quibus multa bona vendiderat terræ in odium filiorum, ipsis filiis non consentientibus.

Anno Domini 1307. Fridericus Landgrauius Thuringiae & Marchio Misnensis amoto patre suo de principatu, multum potens factus est. Eodem anno rex Albertus, dux Austriae, audiens Fridericum Marchionem etiam possidere Thuringiam, congregauit magnum exercitum de Austria, Bauaria, Bohemia, & Suevia, misitque illum ad terram orientalem contra Marchiones, Fridericum & Tizmannum. Et primo obsederunt oppidum Luckau, quod statim obtinuerunt. Fridericus vero & Tizmannus venientes in Leipzig conuocauerunt omnem potestatem suam; ubi venientes nobiles & ignobiles ciues, milites, & rustici, armati; parati erant ad bellandum cum principibus eorum. Quibus omnibus congregatis, invocato, per preces sacerdotum diuino auxilio, missaque solenniter cantata, dixit Fridericus iam armari se faciens:

Herr.

Heute binde ich uf, Meisen Düringen und Pley-
sen, vnd alles, das meiner Eltern je gewart; GÖtt
helfe mir tif dieser Fart; Also wir vor GÖtt recht
haben, also reit her an die Schwaben. Egressus
itaque Fridericus cum suo exercitu, ita fortiter
pugnauit, & viriliter triumphauit, prostrauit,
captiuauit, & occidit, vincens gloriose omnes
aduersarios suos. Sicque Sueuos confudit, ut
inde sit prouerbium: Es wird dir gehen als den
Schwaben vor Lukau. Eodem anno Tizman-
nus & Fridericus Landgrauius obsederunt ciui-
tatem Pegauensem, ex eo, quod Abbas, cuius
fuit ciuitas, adhaesit Adolpho & Alberto Re-
gibus Romanorum contra Marchiones; destru-
xerunt ciuitatem cum monasterio, succende-
runt & spoliauerunt. Ideo Monachi nun-
quam habuerunt postea tantam iurisdictionem
in ciuitate sicut prius. Nam Marchiones ibi-
dem dominabantur potentissime in temporali-
bus, Monachi in spiritualibus. Anno illo nec
dum elaps⁹ Tizmannus in Leipzig fuit mortuus,
& ibidem apud prædicatores sepultus. Et sic
Landgrauius Fridericus solus possedit princi-
patus & dominia Thuringiae, Misnia, terræ
orientalis &c. Postea in breui tempore mortuus
est Rex Albertus, & sepultus in Spyra: Tunc
Ysenacenses, quod sibi adhuc adhaerant, ter-
giti, de consilio aliquorum nobilium, reverte-
bantur ad Marchionem Friderichm, & sub do-
minio eius fideliter permanerunt. Anno Do-
mini 1308, Fridericus Marchio Misnensis, &

Landgrauius Thuringiae, venit ad terram orientalem, & subiugavit sibi tres ciuitates ad Imperium pertinentes, Altenburg, Zwickavy & Kempniz, & tenuit illas loco damnorum & iniuriarum per Reges Romanorum illatarum. Et postea facta est pax generalis in omni terra Marchionis. Anno Domini 1309. de novo fuit suborta maxima gwerra inter Erfordenses & Fridericum Marchionem, & durauit per septem annes. In hac Erfordenses destruxerunt Marchioni castra aliqua, scilicet Andislaba, Vtenste-te. Post hoc Erfordenses, Molhusenses, Nort-husenses, & comes de Wymaria, alias de Orla-munde dictus, coniurauerunt contra Marchio-nem Fridericum, & multa damna intulerunt terris eius. Homines in hac gwerra nulli per-percerunt, nec Clericis, nec religiosis. Tunc Marchio primo deuicit Capitancum Erforden-sium, comitem de Orlamunde, & abstulit ei ci-uitates Trummessdorf, Madel, Vipech, Wy-mar, & omnibus eum spoliasset; sed reversus ab Erfordensibus magnis precibus rediit in gratiam eius post multa damna accepta: & coe-git ipsum abrenuntiare vel diffidare Erfor-denses, & ipsos persequi, quod fecit licet invit-us. Postea Marchio collegit exercitum, in quo habuit nobiles, milites, comites, Episco-pos, de Saxonia, de Anhalde: cum his omnibus ob-sedit Erfordiam; omnes domus extra muros ciuitatis incendio destruxit, & omnes vineas incendit, & nulla erat strata publica, per quam quis

quis posset intrare vel exire, ita quod gramina & vrticæ creuerint in stratis ciuitatis, & tanta fuit inopia in ciuitate, quod communis populus insurgere voluit contra consulatum, nisi inuenisset concordiam & pacem cum Marchione. Eapropter Erfordenses, Northusenses, & Molhusenses faciendo pacem, dede-runt maximas summas pecuniarum Marchioni. Sequentibus annis facta est validissima fames, quia propter tantas controvrsias, scil. Landgrauii Alberti, & Alberti Regum Romano-rum, & aliorum, terra mansit inculta; de quo plurimi fame moriebantur in villis & ciuitatibus. Anno Domini 1314. Henricus Imperator Comes de Luzenburg, qui post Alber-tum fuit, defunctus est. Post cuius mortem duo sunt electi: dux Bauariæ ex parte una, dux Austriae ex parte altera, hi maximas ha-buerunt gvverras inter se per nouem annos Tandem dux Bauariæ Ludouicus Imperium ob-tinuit. Anno supradicto Albertus Landgrauius præbendarius Erfordensium in multa e-gestate obiit, sepultus ibidem ad beatam vir-ginem. Anno Domini 1317. ad biennium ante mortem Henrici Imperatoris Marchio & Landgrauius Fridericus habuit magnam di-scordiam cum Marchione Brandenburgensi Waldemaro. In hac gvverra Lusenses cum aliis adiutoribus Waldemari intrauerunt no-stu per murum ciuitatem Hayne, volentes e-am sic dolose capere; sed Deo largiente o-

G 5

mnes

CHRONICA

mnes capti sunt. Quod audiens Fridericus Marchio, æstimans ciuitatem iam captam ira correptus, equo velociter insiliit, exercitumque suum præueniens solus captus fuit, & Waldemaro prædicto præsentatus. Qui coegerit eum pro liberatione sua reddere captiuos in Haynis, & renuntiare ciuitatibus in Lusiz, Landisberg, & Echersberg. Quæ cum omnia promisisset liberatus est. Post hæc nobiles & domini terræ Misnensis & orientalis noluerunt consentire conditionibus a Marchione promissis. Vnde & potenter conuenerunt ad Waldemarum, contradicentes huic cessioni & sponsioni. Eapropter Fridericus adhuc captiuus volens quidem satisface-re, adductus est in præsentia eorum, ut coram omnibus de satisfactione promitteret: Verum prædicti nobiles bene armati, ceperunt comitem de Anhalt, alias ducem de Kötten, cum omnibus suis, & sic liberauerunt dominum suum. Nec prædictus comes relaxatus fuit, quousque omnia reddidisset, quæ iam ceterat, & dimitteret omnia promissa. Quod & factum est; & restituta est virgo, promissa prædicto duci de Kötten. Anno Domini 1316. Marchio Fridericus quendam nobilem habuit in terra, quem multum dilexit. Hic vna vice valde stulte loquebatur, dicens: Domine, ego promoui vos in principatum, ego etiam noui modum amouendi vos de principatu; & princeps hoc non multum curauit.

Verum

Verum Marchionissa egerrime tulit hæc verba,
vnde & instanter petiuit Marchionem, vt da-
ret sibi virum illum, qui talia verba fuisset lo-
centus. Quod cum factum fuisset, in castro
Wartburg in turrim reclusus, ibidem mortuus
est. Anno Domini 1322. Marchio Fridericus
tactus apoplexia, tribus annis supervixit, &
mortuus est, sepultus in Ysenach ad sanctam
Catharinam. Cui successit in principatu Fri-
dericus Filius suus, adhuc quindecim annorum.
Hic duxit in vxorem Mechtildem filiam Impe-
ratoris, de qua genuit quatuor filios, Frideri-
cum, Balthasarum, Ludouicum & Wilhel-
mum; & tres filias, vnam despontauit Fride-
rico Burggraui Nürnbergensi, duas tradidit
ad monasterium in Suzeliz. Anno Domini
1335. Erfordenses habuerunt in vinculis plures
Clericos, & antea plures occiderunt, quia ad-
hærebant cuidam Episcopo Moguntinensi a
Papa dato contra Canonice electum. Sed il-
le electus petiuit Erfordenses, vt dimitterent
Clericos liberos, nec volebant. Electus hoc
dure suscepit, & assumpsit causam contra Erf-
fordenses, reuocando Fridericum Thuringiæ
Landgrauium in auxilium. Et sic Marchio
cum Episcopo Moguntinensi obsederunt Erf-
fordenses cum aliis 16. principibus, & destru-
xerunt vineas & segetes vndique circa Erfor-
diam. Et tandem ex magna inopia in ciuitate
facta populus communis insurrexit contra di-
vites & consulatum, vi compellentes eos, vt
Cleri-

Clericos libertati donarent. Et maximas penitencias dederunt Episcopo & Marchioni; sive que pax reformata est posthac ad tres annos. Idem Marchio construxit claustrum sancte Elisabeth sub castro Wartberg. Anno Domini 1346. facta est magna discordia inter Episcopum Moguntinum & Marchionem Fridericum ex illa causa, quia nobiles dicti de Salza, fratres inter se discordes, vendiderant patrimonium suum. Quidam partem suam vendiderunt Episcopo, quidam vero Marchioni. Sed aduocatus Episcopi dolose amouit aduocatum Marchionis de possessione castri Salza, & sic voluit totam ciuitatem conseruare & præoccupare Episcopo: propter quod Marchio Fridericus obsedit hostiliter ciuitatem Salza. Tunc clientes Episcopi ascenderunt muros ciuitatis, & depositis braccis contra Marchionem fecerunt ei magnam contumeliam. Exinde Marchio nimium prouocatus ad iram sagitis igneis ciuitatem totaliter incendit. In quo incendio 16. sexagenæ hominum perierunt. Placuisset quidem Marchioni, quod homines exissent, sed armigeri Episcopi portas obstruxerunt. Post hoc concordia fuit facta inter Episcopum & Marchionem, quod ambo possiderent ciuitatem: sive que de nouo ciuitas reformata est. Anno Domini 1348. obiit domina Mechtildis vxor Marchionis Friderici, & sepulta est in Cella, monasterio terra Misnensis. Eodem anno

mor-

mortuus est Ludouicus Imperator pater prædictæ Dominæ. Anno Domini 1348. Electores sacri Imperii discordantes , elegerunt tres Imperatores. Vna pars elegit Carolum , Regem Bohemiæ; alia pars Guntherum de Schwarzburg; tertia pars elegit comitem Henricum de Berneburg. Comes Guntherus intoxica-tus interiit prope Frangfordt. Carolus vero assutus est & coronatus. Anno Domini 1349. Fridericus Marchio Misnensis & Land-grauius mortuus fuit, & sepultus in Cella. Huic successerunt in dominio suo tres filii sui, scil. Fridericus, Balthasar, Wilhelmus : quartus vero filius Ludouicus factus fuit Episcopus in diuersis Ecclesiis. Anno Domini 1350. anni Iubilæi Fridericus senior frater de consensu fratrum suorum bene rexit solus per viginti annos omnia dominia Marchionum. Eodem anno per totam Thuringiam omnes Iudæi cre-mati sunt, & in multis aliis ciuitatibus. Eodem anno venerunt flagellatores. Eodem an-no quidam Begardus, pessimus hæreticus, combustus fuit in Erfordia. Eodem anno vali-dissima pestilentia in omnibus terris Marchio-num. Anno Domini 1351. commissum est magnum bellum inter Regem Franciæ & Angliæ. Rex Angliæ victoriam obtinuit, & ce-pit Regem Franciæ, & Iohannes Rex Bohemiæ cæcus, pater Caroli Imperatoris fuit interfectus cum quatuor militibus, quibus fuit anne-xus ferreis catenis, ob amorem Regis Franciæ.

Anno
1351



CHRONICA

Anno Domini 1368. Marchio iunior Wilhelmus intravit Lombardiam cum Imperatore Carolo, contra Dominum Mediolanensem, inimicum Papæ. Et cum aliquod tempus fuissest in confinio illius, Imperator (ut dicitur) corruptus pecunia recessit, & propterea male fuit contentus de eo. Anno Domini 1370. dux Magnus Brunsvicensis & Luneburgensis in quodam bello contra ducem Magnipolensem amicis plus quam centum captiuos armigeros. Ad redimendum autem illos vendidit ciuitatem Sangerhusen Marchionibus iure hereditario. Anno Domini 1373. predictus dux Magnus occisus fuit in quodam conflictu per ciues suos, scil. Luneburgenses & Hannferenses & reliquit quatuor filios, scil. Fridericum, Bernhardum, Henricum, & Ottone, qui postea factus fuit Episcopus Bremensis. Anno Domini 1378. mortuo Iohanne Episcopo Moguntinensi, Canonici elegerunt Adolphum de Nassau, sed Papa dedit Episcopum Bambergensem scil. dominum Ludouicum pro Episcopo Moguntinensi, quem refutauerunt Moguntinenses & Erfordenses. Tunc clerus & religiosi per sex annos exierunt Erfordia, quia noluerunt communicare excommunicatis a Papa. Anno Domini 1377. Wenceslaus Rex Bohemiae, filius Caroli Imperatoris, electus fuit in Regem Romanorum, procurante hoc patre apud Electores. Anno Domini 1379. ortum fuit pessimum schisma in Ecclesia.

Dei.

Dei. Nam Romæ fuit electus Urbanus per omnes Cardinales; sed postea eodem anno, videbatur Cardinalibus, quod non esset rite & canonice electus, recesserunt ab eo: venientesque in Ecclesiam Gallicanam elegerunt alium Papam, Clementem, qui residebat in civitate Auinionensi. Et illud schisma durauit longo tempore, quia quoties vnu s eorum moriebatur, Cardinales de cœtu suo, tanquam iusti, elegerunt sibi Papam aliūm. Anno Domini 1380. Carolus quartus Imperator mortuus est, cum regnasset annis 33. & sepultus est Pragæ in Ecclesia Castri. Post illum Imperatorem multo tempore non fuit Imperator, quia filius eius Wenceslaus propter instantias plurimas multorum principum & fratum suorum, qui libenter eius promotionem ad Imperium non vidissent, nunquam voluit ire Romanam ad coronandum. Et sic Imperium multo tempore vacauit, non in modicum Ecclesiæ detrimentum. Anno Domini 1387. obiit illustris Princeps Marchio Fridericus in castro suo Altenburg & sepultus est in monasterio dicto Cella Misnensis terra iuxta Patrem & matrem suam. Hic Marchio reliquit tres filios, scil. Fridericum, Wilhelmm, & Georgium, omnes minoris ætatis, quibus bene præfuit mater eorum multis annis, domina Catharina de Henneberg usque ad obitum suum. Nam post mortem patris eorum dominia fuerunt diuisa, quæ antea tres fratres habuerant.

con-

coniuncta. V Balthasar mansit Landgraviatus
Thuringiae, dominus Wilhelmus mansit Mara-
chio Misnensis. Tres vero filii defuncti Fri-
derici manserunt orientales. Eodem anno,
in Carnis priuio in ciuitate Caluis, dominus
Ludouicus Episcopus protvisor Ecclesie Mag-
deburgensis, germanus Marchionum, volens
facere solatium nobilibus terrae, conuocauit
plures Comites, Barones, milites, Burgenses &
clientes, vocauit etiam generosas dominas no-
biles terrae; sed heu gaudium illud mundanum
versum fuit in luctum! Nam feria secunda in
fero chorea fuit ordinata in consistorio Caluise
per nobiles vtriusque sexus: & Episcopus Lu-
douicus duxit choream in præsentia germani
sui, domini Wilhelmi, Marchionis Misnensis.
Et ecce subito murmur & clamor insonuit in
medio chorisantium, quasi incendium esset
sub gradibus, vbi fores aseensus ad consistori-
um. Et Episcopus hoc audiens coepit primo
fugere, & omnis multitudo sequebatur eum.
Et cum peruenisset ad gradus cum tanta mul-
titudine, distracti sunt gradus, & Episcopus
primus cecidit, & omnes sequentes ceciderunt
super eum, sicque factum est, ut solus Episco-
pus oppressus subito mortuus permanserit.
Dominus autem Wilhelmus per scalam descen-
dit de fenestra, & summe turbatus mane cum
suis recessit. Episcopus autem defunctus
Magdeburgum deducitur & in Collegio san-
cti Mauriti sepelitur. Anno Domini 1389.
domi-

dominus Philippus de Alemannia Cardinalis, de semine regum Franciæ, Legatus Apostolicus deguit in ciuitate Egra quasi per mensem, in conuentu fratrum minorum, & post hoc pertransiens plures ciuitates venit Erfordiam, & mansit ibi in monasterio S. Petri quasi per dimidium annum, & multa privilegia & beneficia multis dedit. Eodem anno Episcopus Moguntinensis rediens de Erfordia graui-
ter infirmari coepit in Heilgenstadt: oppres-
sus tanto malo infirmitatis, ut omnes sui fuge-
rent ab eo, imo proprius germanus, sicque mi-
serabiliter exspirauit. Et innumerabilis mul-
titudo coruorum hora mortis suæ desedit su-
per tectum domus, in qua jacebat. Euo-
lante autem anima eius in crepusculo, auola-
bant & corui. Hic fuit Adolphus de Nas-
sau, qui restitit Papæ, & Ludouico, germano
Marchionum, dato per Papam in Episcopum
Moguntinum Anno Domini 1391. Marchio
Fridericus germanus Wilhelmi & Georgii cum
magna comitantia nobilium de Misnia &
Thuringia pro acquirenda militia Prussiam in-
trauit, atque cum magna potestate, vna cum
Dominis Prussiæ, contra Saracenos processit,
ibique miles effectus est. Anno Domini
1392, Iuniores Marchiones obfederunt castrum
Lichtenberg tempore hyemali in magnis frigo-
ribus, & illud obtinuerunt cum omnibus vil-
lis & nemoribus ad idem castrum pertinenti-
bus. Quod quondam fuit illorum de-

D

Schwarz-

Schwarzburg, sed tunc impignoratum nobili de Wizeleben, & cuidam cui Erffordensi, Henrico de Paradiso, qui principes iniuriose offenderunt; ideo ipsos de castro expulerunt. Anno Domini 1393. Marchio Mishensis tunc senior Wilhelmus, procurauit indulgentias Romanas a poena & culpa pro ciuitate Misnensi. Sed postea indulgentiae istae tempore suo, ibi & alibi per Papam fuerunt cassatae. Eodem anno Wenceslaus Rex Bohemiæ & Romanorum, captus fuit in regno Bohemiæ a suis, & ultra dimidium annum traductus de castro in castrum, ita ut ignoraret, vbinam esset. Tandem germanus suus Iohannes Dux Gorlicensis magnis laboribus & sumptibus ipsum liberavit, & ita fuit restitutus regno suo. Sed idem dux Iohannes postea statim intoxicatus veneno moritur. An. Dom. 1386. Fridericus Marchio cum suis germanis destruxit castrum Balgenstätt & nobiles de Balgenstätt de terra fugavit; erant enim famosi raptores, & contemtores principum, & multa incendia ciuitatum Marchionum procurauerunt. A. Dom. 1400. Fridericus dux Brunsvicensis interfuit placito Principum in Nurnberga, & redire volens ad partes suas occisus fuit in via prope Frislariam, & ibidem captus fuit dux Saxoniam Rudolphus per traditiones Iohannis Episcopi Moguntinensis. Item dux Bauariae eligitur in Regem Romanorum. Eodem anno Herbipolenses prostrati fuerunt per Episcopum eorum,

TERRAE MISNENSIS.

51

torum, unum de Schwvarzburg, & magna pars muri fuit destructa, & multæ domus lapideæ deiecta, in contemptum ciuium. Anno Domini 1404. Bonifacius Papa moritur, & Innocentius durante schismate subrogatur. Tunc Landgrauius Thuringiæ Balthasar senior, relictam Friderici Brunsuicensis occisi, filium Ducis Saxonie, duxit in vxorem, & modico tempore superuixit. Anno Domini 1405. tanta fuit constringentis hyemis rigida-
tas, ut a festo Martini vsque ad festum purifi-
cationis Mariæ nulla nix liqueficeret. Et circa idem festum cœpit esse subita aquarum ex-
crescentia. Anno Domini 1408. studium Pra-
gense cœpit desolari, regnante Wenceslao Re-
ge Bohemiae; facta fuit namque discordia in
vniuersitate Pragensi inter Bohemos & tres al-
lias Nationes. Bohemi namque volebant o-
mnes suppeditare & præcellere conniuente Rege. In hac namque discordia Rex consen-
tientibus Bohemis, cocum suum in Rectorem
vniuersitatis instituit. Ob illam & alias plu-
res causas hæresim sapientes tres illæ Nationes
recesserunt. Quos Fridericus Marchio Mi-
snensis & orientalis benigne recollegit in op-
pido suo Lipzeni cum fratre suo Wilhelmo,
& ibidem studium generale erexit. Et tunc
apparuit quomodo bona actio cum elatione
non eleuat, sed grauat. Nam Bohemi sibi
ipsis in suis obseruantiis & opinionibus pla-
centes dicebant: Bohemum non posse hære-

D 2

ticum



ticum velesse, vel fieri, cæteros autem omnes
 præsumptuosissime & plenissime bestias & hæ-
 reticos appellabant; cum tamen ipsamet ho-
 die, paucis exceptis, omnes facti sint hæretici,
 impleto communia antiquo prouerbio in scho-
 lis puerorum vſitato: Non est fides in Bo-
 hemo. Prædicta Lipsensis Vniuersitas confirma-
 ta est ab Alexandro Papa anno Domini 1409.
 Posthæc in breui Marchio prædictus grauiter
 corruens aliquandiu infirmabatur; postea fi-
 lios procreauit, videlicet Fridericum, Sigis-
 mundum, Wilhelmum, item filias. Vnam
 duxit Landgrauius in vxorem: Marggrauius
 Brañdenburgensis coegit ipsum Fridericum, fi-
 lium prædicti Friderici, per inuasionem terræ
 Saxoniæ, ad dandum sororem suam sibi in
 uxorem, quod & factum est. Transactis ali-
 quibus annis, præfatus Fridericus Marchio Mi-
 snensis, fundator studii generalis in Leipzig, fa-
 ctus est dux Saxoniæ, mortuo prædecessore
 suo, & hoc non sine multo grauamine: atque
 aliqualiter contra voluntatem incolarum &
 ciuitatum terræ Saxoniæ, cum reclamatione de-
 niue Ducis de Luneburg. Anno Domini
 1426. absente ipso Duce Friderico, Bohemi
 magnum congregauerunt exercitum aduersus
 Misnenses. Duciſſa vero vxor Friderici, simi-
 liter misit contra eos multitudinem magnam,
 sub ducibus exercitus, & comitantia multo-
 rum nobilium. Committentibus itaque bel-
 lum, occubuit pars Misnensium, in quorum

exer-

TERRAE MISNENSIS.

5

exercitu melior & maior pars nobilium, comitum, militum, & Baronum terrarum Misniae, Thuringiae, & orientalis terrae interiit: & hoc per traditionem cuiusdam nobilis Thuringi, dicti Appel Vizthum, cui maior cura exercitus commissa fuit, tanquam superiori Capitaneo. Qui & fertur dixisse. Nunc vindicaui fratrem meum. Habuit enim ante illud factum fratrem, qui erat Marschallius in curia Principis. Hic decapitatus fuit eorum Imperatore Sigismundo. Nam quodam tempore Fridericus dux Saxoniae disposuit pecuniariam magnam suminam dirigere Imperatori, in propinam donationis ducatus Saxoniae. Hanc ipse Vizthum tradidit, ita ut deferentes spoliarentur, & aliqui occiderentur. Postquam vero Fridericus dux Saxoniae reuersus fuisset in terram suam, nimium turbatus de interitu tantorum nobilium, post annum moritur. Commissum fuit bellum illud lethale ante ciuitatem Aussigk in die Viti, quæ erat dominica dies. Mortuo Friderico, Duce Primo Saxoniae, successit ei filius suus Senior, dictus Fridericus. Alter autem frater seu filius Sigismundus per inordinatum amorem cuiusdam monialis seductus reliquit dominium terræ suæ, sub specie poenitentiæ, ad sacerdotium processit, malo suasu aliquorum. Hic postea Episcopus Herbipolensis est effectus. Sed vagabundus, & in seipso erroneus factus, totum dominium cessit Friderico. In isto tam

D 3

men



men errore captus est a fratre suo Friderico, & propter honestatem tentus in castro uno vsque in finem vitæ, aliquibus sub poena capitis commissus. Anno Domini 1430. Hussitæ seu Bohemi cum magna potentia intrauerunt terram Misnensem & orientalem, multa damna inferentes populo. Et infra octauas Epiphaniæ venerunt ante Lipzig, & plures alias terras inuaserunt, Franciam, Bauariam &c. Anno Domini 1431. dux Austriae cum Hungarîs agens bellum contra Hussitas 14. millia de eis occidit circa Wien. Reliqua vero pars Marchiam Brandenburgensem depopulata, oppidum Guben destruxit. Anno Domini 1438. dux Saxonie cum magno populo intravit Bohemiam, voluntate Imperatoris obsidens quædam castra & ciuitates. Tandem cum redire disponeret in terram suam, Bohemi congregati obsidebant sibi viam. Contra quos belando magnam fecit victoriam; nam multos prostrauit, occidit, & captiuauit. Colligatos denique & congregatos gregatim & processionaliter quasi ante se egit, tradiditque illos hinc inde carceribus puniendos. Et juniores Dominum de Sternberg cepit. Anno Domini 1448. Fridericus dux Saxonie relatione quadam percepit, Bohemos congregatos tendere in terram suam. Timens ipse congregauit validum exercitum ex nobilibus, Burgensibus, & militibus. Qui in via multa damna intulerunt, quoisque peruererunt

ad

TERRAE MISNENSIS.

55

ad quendam locum non multum distantem a
nemore Bohemorum. Ibidem inter seipso
maxime rixati tumultabantur, Zvvikauien-
ses contra Lipsienses, & alii contra alios, quod
vix sedari potuerint. Nihilque in ea expedi-
tione feliciter gestum est. Bohemi autem in
magna congregatione inuaserunt ciuitatem
Pragensem, capientes eam, ubi adhuc multi e-
rant fideles, qui tunc vehementer oppressi sunt.
Anno Domini 1450. orta est magna dissensio
inter duos fratres, Fridericum ducem Saxoniæ
& Wilhelμum Landgrauium Thuringiæ, pro-
pter quoddam castrum dictum Schvvarzberg.
Contigit enim his diebus, ut plures principes
& Barones conuenirent in Tzscherviz, affuit
& Marchio Brandenburgensis, qui habuit foro-
rem Fridericij ducis Saxoniæ. Finitis tracta-
tibus Fridericus dux Saxoniæ tendens versus
hæreticos Bohemos, commisit prædicto Mar-
chioni curam suorum in terris suis. Quod
quidem fideliter promittendo deosculabatur
eum, tanquam amicus amicum, dicens: *Zie-
het bin mein lieber Schvager, ich vwill euer ge-
treuer Vorsteher seyn; es vwas aber Iudas Kuss.*
Sic separati sunt ab inuicem. Dux autem Sa-
xoniæ Fridericus, congregato magno exere-
tu, processit contra Boiemos. Audiens au-
tem de contrarietate castri Schvvarzberg re-
trocessit & venit in Thuringiam, obsidens ciui-
tates aliquas & castra, pluraque dāmina intulit.
Sub hoc euentu frater suus Wilhelμus, Land-

D 4

grauius

grauius Thuringiæ, rursus terras eius eum adiutorio Bohemorum intravit, & magna ei dama intulit. Sicque illa dissensione hi duo principes & fratres semei ipsos alter alterum deuastauerunt, & quodammodo exterminaerunt. Pegauia obfessa a Bohemis viriliter restitit. Gera autem ciuitas capit, populus occiditur. Multæque alia ciuitates, vtpote Mittevveide, Dobelum, Froberg, Choren castra & villæ incensæ & exterminatae sunt a Bohemis. Sub his litigiis fraterñis Marchio Brandenburgensis, qui prius dederat osculum pacis cum exercitu suo in parte altera terram Saxoniæ hostiliter inuasit, addiditque dolorem dolori. Sicque bonus iste princeps Fredericus ex omni parte tribulabatur. Huius autem dissensionis occasio fuit Appel Vitzthum. Tandem miserante Domino dissidium fraternum quieuit; concordatique Princeps totius mali seminarium Appel Vitzthum de consiliis suis eiecerunt.

Anno Domini MCCCCLX. Dux Burgundia solempnem legationem, ut puta vnum Reverendum Patrem Dominum Abbatem, & militem vnum strenuum & prudentem, cum multa comitua misit ad Ducem Saxoniæ, ad desponsandum filiam illius filio suo. Cum venientes in Thuringiam, per Appel Vitzthum, viliter spoliati & capti sunt, atque in castrum fortissimum Dornburg traducti. Estimabat etenim illo

TERRÆ MISNENSIS.

57

ille nequam per hoc facinus, se gratiam Landgrauii, a cuius consilio electus fuerat recuperaturum, sed aliter euenit. Nam Wilhelmus Landgravius comperto hoc scelere, mox cum suis dictum castrum obsedit; dehinc cum adiutorio fratri & Effordensium omnia castra quæ pertinebant ad istum nequam Appel Vizthurn cum omnibus suis de terris suis expulerunt. Cum veniens ad Bohemos sui similes infinitas contrarietates & discordias seminavit, inter ipsos Bohemos & Dominos Misnenses.

Anno Domini MCCCCLI. Fridericus Romanorum Rex ducta vxore Yconera filia Regis Portugalliae, ascendit Romam cum Ladislao Rege Vngariae & Bohemiae & Alberto Duce Austriae fratre suo, & a Papa Nicolao, vna cum vxore Imperiali diademate coronatus est. Eodem anno validum bellum cepit inter Dominos Domus Teutonicorum & ciuitates Prussiae, propter nimiam ut dicebatur insolentiam fratrum prædictorum.

Anno Domini MCCCCLII. Turci ceperunt Constantinopolim, cum impugnassent eam singulis diebus terra marique, plusquam cum trecentis hominum millibus, per continuos LXVI. dies. Trucidauit Imperatorem cum Patriarcha & omni masculino genere, quasi pecora sine uila miseratione, senes cum iunioribus, mulieribus & virginibus in captiuitatem abductis.

D 5

An-



Anno Domini MCCCCCLXXV. In die Luciae obiit Dominus Iohannes dux Baiariae, Primæ Germaniae, Archi-Episcopus Ecclesie Magdeburgensis, strenuus defensor Patriæ. Cui succedit Dominus Ernestus, Dux Saxonie, Marchio Misniæ, Landgrauius Thuringiæ admodum iuuenis adhuc, quia forte tredecim annorum postulatus in die Epiphaniæ. Fuit filius Ernesti senioris Ducis Saxonie Electoris, & fuit per Dominum Apostolicum Sextum quartum ad missus & confirmatus, & multa priuilegia per eundem eidem fuerunt concessa. Videlicet quod posset ut Roqueto more Romano; ordines sacros recipere extra tempora in iure constituta & ante legitimam ætatem, crucemque facere ante se deferre, & multa alia concessit eidem. Iste annus fuit infans Christianis Principibus. Nam potentissimus Christianorum Principum, Carolus Dux Burgundie gladio Switenfurd occubuit. Ditissimus videlicet princeps Mediolanensem, in ecclesia per quendam transfoissus expiravit. Religiosissimus Dominus Iohannes Archi Episcopus Magdeburgensis, de quo superius, ultimum diem infirmitate prævalescente clausit. Bellicosissimus & martialium rerum fortunatissimus Palatinus Reni viam vniuersæ carnisingressus est.

Anno Domini MCCCCCLXXVII. Capitus Quedlinborg per Ducem Saxonie Ernestum & Albertum fratres. Et Aschersleuenses redierunt vexas pecunia nescio quanta.

An-

TERRÆ MISNENSIS.

59

Anno Domini MCCCCCLXXVIII. in Vigilia Sancti Matthæi, quæ tunc fuit die Dominico in meridie capta fuit Hallis ciuitas Saxonæ nobilis per Dominum Ernestum administratorem Ecclesiæ Magdeburgensis cum satis parua manu, & posset quodammodo reputari inter mirabilia mundi quod tam populosæ, famosa & firma ciuitas, debuerit tam parua manu capi, clara die, si discordia non fuisset inter eos.

Anno Domini MCCCCCLXXIX. feria 2. post Iudica Erfordienses occupauerunt curiam Episcopalem in Erfordia ausu temerario, & fuit discordia non modica inter eos & Dominum suum naturalem Episcopum Moguntinum. Quare dictus Episcopus cogitauit resignare Episcopatum Alberto filio Ernesti Ducis Saxonæ fratri Ernesti Administratoris Ecclesiæ Magdeburgensis, quod Erfordienses quantum valuerunt impeditre nitebantur. Vnde & magnam indignationem incurserunt prædictorum Principum, quod etiam finaliter male cessit eisdem. Circa hoc tempus Erfordienses destruxerunt Monasterium monialium dictum ad sanctum Ciriacum satis antiquum, & ibidem ædificauerunt castrum, ut speratur in malum, diabolorum aliquo concitati. Eodem anno Eynbeckenses, male pugnauerunt contra Hassones in finibus ciuitatis suæ Eynbeck nam ceterum & sex interficti & octingenti captiuati & abducti fuerunt, inconsulta eorum audacia hæc faci-

faciente. Eodem anno Monasterium in Krem-
schoue ordinis canonicorum dioecesis Num-
burgensis factum est Carthusia, procurante Du-
cissa Saxonie Seniore, matre Ernesti & Alber-
ti Ducum quæ fuit Ducissa Austriae Soror Fride-
tici Imperatoris.

Anno Domini MCCCCCLXXX. Ernestus
Dux Saxonie adiunctis sibi multis aliis iuit Ro-
mam, ubi a Domino Sixto Papa honorifice sus-
ceptus fuit. Eodem anno Albertus filius Er-
nesti iam dicti fuit factus prouisor *uff dem Eychs*
Felde, contra voluntatem Erfordensium &
Canonicorum Moguntinæ Ecclesie, & statim
emancipatus per Episcopum, contra morem
prisorum temporum, & abilitatem ad eligen-
dum actiue & passiue, cum esset vix xv. vel xvi.
annorum. Qui etiam Moguntiae stetit in stu-
dio generali. Et procedente tempore, quia
Episcopus non potuit efficere ut substitueretur
sibi, elegit eum in suum filium spiritualem &
adoptiuum, & commisit ei gubernationem to-
tius provinciae Moguntinæ in temporalibus re-
seruata sibi sufficienti provisione. Eodem ve-
ro tempore castrum valde nobile & solempne
per Dytherum de Ysenberg Episcopum Mo-
guntinum, in Moguntia non diu ante constru-
ctum ignibus conflagratum est, existentibus in
eo Episcopo prædicto cum filio suo spirituali,
Alberto Duce Saxonie, qui etiam vix incen-
dium quaserunt. Eodem anno circa festum

cor-

corporis Christi Ernestus Administrator Ecclesiae Magdeburgensis, factus & Administrator Halberstadiensis, & sic administravit duos Episcopatus. Eodem anno Dominus Diethe-
rus de Eisenberg Archiepiscopus Moguntinus, protestatus fuit contra Erfordenses in multis locis, per publicam insinuationem in scriptis af-
fixam foribus Ecclesiarum diuersarum prouin-
ciarum & ciuitatum. Vbi querebatur publi-
ce, maioribus & minoribus, nobilibus & ple-
beis de multis violentiis & iniuriis sibi & Ec-
clesia Moguntinæ per prædictos illatis. At e
contra Erfordenses excusatoria scripta simili-
ter fecerunt affigi foribus Ecclesiarum diuersa-
rum prouinciarum & ciuitatum, ubi mentio-
nem fecerunt de certis priuilegiis; sapius vero
de antiquis consuetudinibus, ad eos usque de-
ductis; de quibus præfatus Archi-Episcopus
causatus fuerat, quod per violentiam & iniusti-
tiam fuissent introductæ & obseruatæ & in gra-
ue præjudicium sui & Ecclesiae suæ, quod & ve-
risimile erat videre. Et plures reprehenderunt
Erfordienses, dicentes eos per sua scripta pro-
priam stultitiam & iniustitiam propalasse. Hoc
anno Turcorum Admiratus obsedit Rhodum
& valde valide impugnauit, sed tamen fugatus
fuit, cum iam quasi ciuitatem obtinuisse, quo-
niam murum iam plurimi Turcorum transcen-
derant; sed Dei & Christi adiutorio repulsi
fuerunt. Audiens Anti-Christus ille Turcorum
Rex, non contigisse in Rhodo qualia voluit,

præ-

præ tristitia infirmatus & mortuus est & sepul-
tus (vt creditur) in inferno. Fertur enī quod
moriturus trinies cum blasphemia exclamaue-
rit: Maledicta Rhodus! sicque maledictam in
manus Luciferi animam efflaverit. Eodem anno
Ruteni in Liuonia, lamentabilem & miserabi-
lem plagam fecerunt in Catholicos Christia-
nos.

Anno Domini MCCCCCLXXXI. fuit convo-
catio Principum in Nurmberga ad tractandum
de modo resistendi Turcis, verius autem, ut rei
veritas ostendebat de modo emungendi pecu-
nias, tam a Populo, quam a Clero. Nam de
Turco minor sollicitudo fuit. De ista exactio-
ne seu Stewra (vt ipsi vocabant) multa mala
fuerunt exorta non multum distantia ab hære-
tica prauitate imo a Turcali impietate & præci-
pue in dioceſi Bambergensi. Vbi Albertus Senior
Marchio Brandenburgensis in veteratus dierum
malorum, inaudita & horrenda attemptari fe-
cit & de facto perpetrauit contra clerum,
omnem clericalem & ecclesiasticam libertatem
& immunitatem subuententia. Sed relinqua-
mus illa Domino Apostolico.

Anno Domini MCCCCCLXXXII. circa festum
Iohannis ante portam latinam obiit Dominus
Dietherus de Eisenberg Archi-Episcopus Mo-
guntinus, cui communi electione successit Al-
bertus Saxonie Dux Frater Ernesti Magdebur-
gensis

gensis Administratoris de quo supra. Eadem tempestate discordia valida orta est inter civitatem Hildesheim & Episcopum suum, quæ post aliquales cædes vtrinque fastas pecunia Hildesheimensium sopita fuit. Nam his temporibus nullus tam validus Dominus cui nummi amor non dominaretur. Hoc etiam anno filia Caroli Ducis Burgundiae quæ nupserat Maximiliano filio Imperatoris, cecidit de equo & fracta cervice mortua est. Hoc denique anno obiit Wilhelmus Dux Brunswicensis, vir grandævus & pacificus, cui successit filius eius Fidericus. Iterum isto anno obiit Wilhelmus Dux Saxonæ & Landgravius Thuringiæ, strenuus multum ac bellicosus, & Christianorum Principum non minimus, stabilem pacem & securitatem viarum in terra sua conseruavit. In multis quidem laudabilis, nisi quod pellicatu cuiusdam Katharinæ de Brandenstein, suo generi valde imparis deceptus; nobilissimam coniugem suam, regii generis fœminam, vt pote Regis Bohemiæ, Hungariæ, Romanorumque Imperatoris filiam, sororem Ladislai Regis, valde ignobiliter tractauit, & ad vitæ finem quasi martyrio, ut dicitur, coegit; & post concubinam suam associauit sibi vinculo coniugii, quam prius sëpe conuenit in criminis adulterii. Etiam nimis grauauit subditos suos exactiōibus diuersis sine necessitate ultra,

la, persuasionibus vt verisimiliter credebatur, huius præcognitæ vxoris suæ, vt verum videtur quod dixit Poeta: Asperius nihil est misero dum surgit in altum. Nam ista Domina Katharina, priusquam in pellicatum Principis aduenisset, dicebat ignominia proprii pudoris, quasi vulgarium communis concubitu victimum queritasse & forte suæ libidinis expletionem. Postea autem hæres facta Dominae suæ, castissimæ scilicet Regionæ, imo prædo. Ut veritas diuini eloqui per Salomonem sapientissimum enuntiati, probaretur tam grauiter commouit terram, &c. Istius Wilhelmi mors fuit Erfordiensibus graue dispendium, quoniam confederatus eis & quasi concius eorum defensaverat eos. Nunc vero fratruelibus eius Ducibus Saxonie Ernesto & Alberto, principatum Thuringiæ sumentibus, timor sine dubio & tremor atque angustiæ vindique- inuaserunt eos: quoniam animos prædictorum Principum non mediocriter offenserant, vt supra tactum est confisi de Ducis Wilhelmi defensione, immemores autem Prophetici elegii: Nolite confidere in Principibus, & iterum: Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Ista non attendentes Erfordenses, innixi baculo huic arundineo, non curauerunt Dominum suum naturalem Archi-Episcopum Moguntinum, nec istos Duce-

ces, quos tamen sciuerunt hæredes & futuros Principes Thuringiæ, & ergo eisdem Principatum sumentibus, non immerito angustiati sunt. Dabatur enim vnicuique licentia diffidandi, captiuandi, spoliandi, incarcerandi, exactio[n]andi eos, & negabatur eis saluus conductus &c. Propter hoc & alia coacti Erfordenses, circa festum Luciæ composuerunt se cum Principibus prædictis, satis grauibus conditionibus sibi compositis, & forsitan usque ad hæc tempora eis inauditis & insuetis &c. Erfordenses prius ante aliquot annos destruxerunt monasterium sancti Ciriaci extra ciuitatem, timentes, nescio quid timerunt, forte ne sanctus Ciriacus veniret ad eos in ciuitatem. Et quia præsidia Dei & sanctorum a se remouerunt, ergo non immerito, ut reor, tam graui seruitute oppressi sunt, recendentibus a se omni auxilio, consilio & præsidio. Anno isto ignis multa oppida, hinc inde absulit, scil. Torgaw, Gottingen, Tudderstat &c. Hoc etiam anno Episcopus Bremensis & administrator Monasteriensis, suscepit etiam tertiam Ecclesiam administrandam, scil. Osnabrugensem. Querebantur his temporibus Laici communiter de avaritia, & nimiis possessiōnibus ac diuitiis Ecclesiasticorum, quod utique verum non esse probat, quod unus homo cogebar duos vel tres Episcopatus ad-

ministrare. In tantum fuerunt bona Ecclesiastica deuastata & alienata, Laicorumque tyrannide diminuta.

Anno Domini MCCCCCLXXXIII. Heinricus Landgravius Hassiae, Vir prudens, pacis propagator, & suorum strenuus defensor obiit. Habuit vxorem filiam unicam Comitis de Katzenelnbogen, valde pecuniosi hominis; post cuius obitum ipse obtinuit omnem pecuniam & omnem comitatum eius. Circa festum Paschæ huius anni, Erfordienses composuerunt se cum suo administratore Alberto filio Ernesti Duci Saxonie; dederunt XL. milia florenorum. Isto etiam Duces Saxonie Ernestus & Albertus ceperunt continuam moram habere in Liptzg propter Thuringiæ regionem. Nam nullus eorum voluit inhabitare Thuringiam propter timorem amissionis liberorum. fertur enim quod a temporibus expulsionis sanctæ Elisabethi cum suis liberis, qui fuerunt veri haeredes terræ Thuringorum, nullus unquam Thuringiæ Princeps habuerit filium successorem in Principatu. Hoc experientia perdocti Duces isti, noluerunt inhabitare Thuringiam, sed elegerunt habitationem in Lipzig ut dictum est, quasi in confinibus vtriusque prouinciae Misniæ & Thuringiæ. In die Remigii, Heinricus Dux Luneburgen sis

sis cum matre sua & multis armatis venit in Leipzig, vbi fuit ei desponsata & nupta tradita vna de filiabus Ernesti Ducis Saxoniæ magnaue cum pompa nuptiæ fuerunt ibidem celebratae. Eodem anno quarta feria ante Wenceslai Pragenses expulerunt omnes religiosos, tam mendicantes quam non mendicantes, captiuæ verunt omnes Catholicos, quorum aliquot occiderunt, reliquos etiam de ciuitate expulerunt. Ista autem seditio ut fertur, originem habuit ex occasione fratrum minorum, qui nominant se de obseruantia. Nam isti fratres non habentes antea conuentum in Praga, per concessionem hodierni Regis Bohemiae, qui fuit Catholicus, filius scil. Regis Poloniae, fundauerunt sibi nouum ibidem conuentum. In isto conuentu fuit quidam Frater ordinis natione Bohemus, qui in sermonibus popularibus certo tempore publice, sicut moris & illis, valde exacerbauerat animos Hussitarum, forte non legerat sanctum Augustinum docentem: quod cum multitidine peccante non aspere sed leniter & mansuete agendum sit, vel fortassis contempsit tam salubrem quam veram doctrinam tanti Ecclesiæ Magistri. Nam publice proclamando condempnauit eos, cum ipsi valde excederent Catholicos numero, audacia & potentia. Huic accessit abusus priuilegii (quod sic Prage ledi-

ledium nuncupare placet) quod Dominus Sixtus Apostolicæ sedis Antistes, mendicantibus concederat. In quo inter cetera habetur, quod dicti mendicantes, eos qui sibi confessi fuissent, & in forma Ecclesiæ absoluti, quos Ecclesiarum rectores nollent communicare vel inungere, ipsi publice communicare & inungere possent. Hoc fecerunt tam **Minores** quam **Prædicatores**, non attendentes, quod dicitur locus, tempus, persona. Vnde Sacerdotes Husitarum communiter commoti, cum aliam non habeant secundum formam sectæ suæ, quam quæ de testamentis & usu sacramentorum assequuntur; cumque anima populi ex illis pendeat, commouerunt seditionem istam; in qua (ut dictum est) omnes Catholici fuerunt expulsi, qui a tempore sa- prædicti Regis valde fuerant audacti. Destruxerunt etiam tunc Husitæ prædictum conuentum Minorum de obseruantia vsque ad solum & multa horrenda commiserunt in imagines crucifixi & alias.

Anno Domini MCCCCLXXXIV. In carnis priuio filia Domini Alberti Ducis Saxoniæ iuencula, fuit tradita Sigismundo Du-ci Austricæ, sexagenario & forte vltra, fuerat prædicta puella desponsata cuidam Duci Brunswicensi, sed quia eam dotare non valuit, ideo non fuit ei tradita, sed isti. Eodem

dēm anno circa nuntium quadragesimæ obiit
Illustris domina Elisabeth Ducissa Saxonæ
Vxor Ernesti Ducis, mater Ernesti & Alber-
ti Administratorum Moguntinensis & Mag-
deburgensis Ecclesiarum, & sepulta fuit in
Ecclesia fratrum Prædicatorum in Leipzig vbi
& obiit Ydropisi, mulier virtuosa, Bavarо-
rum sanguine exorta. Et secunda feria post Iu-
dica conuenerunt ambo Duces Ernestus &
Albertus. Et Ernestus filius Ernesti Admi-
nistrator Magdeburgensis & Halberstatten-
sis Ecclesiarum cum multis Comitibus ac no-
bilibus, & tribus Episcopis Misnensi, Num-
burgensi & Merseburgensi in Leipzig pro exe-
quias tricesimi præfatae Dominæ Elisabeth ce-
lebrandis. Vbi dicti Episcopi in Ecclesia
fratrum Prædicatorum cantauerunt Missas.
duo pro defunctis & vnam de beata requie.
Eodem anno Sabbatho ante Dominicam qua
in Ecclesia cantatur officium Misericordia
Domini, obiit illustris Princeps Dominus
Albertus administrator Ecclesiae Moguntinæ,
admodum iuuenis adhuc filius Ernesti Ducis
Saxoniæ, multis profecto turbaris ac fienti-
bus, nonnullis vero (vt se habent hominum
mores) lœtantibus, & diuersa diuersis dicen-
tibus. Cui successit in præsulatu memora-
ta Moguntinæ Ecclesiae Dominus Bertholdus
de Henneberg Decanus ciudem Ecclesiae,
valde (vt famabatur) facundus & prudens

E 3

ac

CHRONICA

ac in rebus gerendis strenuus & seriosus.
 Eodem etiam anno Fridericus filius Alberti
 Ducis Saxoniæ Canonicus Ecclesiae Mogun-
 tinæ factus est prouisor *uff den Eicks - Felde.*
 Circa festum Pentecostes Matthias Rex Hun-
 gariæ notabiles ambasias misit ad Leipzig ,
 Ducibus Saxoniæ cum muneribus valde no-
 tabilibus , in auro argento veste pretiosa ac
 equis , quæ vt famabatur a Turcis vel Sar-
 racenis in bello superatis abduxerat & obti-
 nuerat . Anno Domini MCCCCLXXXIV. XII.
 die Mensis Augusti Sixtus Papa moritur , &
 XXIX. die mensis eiusdem Innocentius VIII.
 in Pontificatum subrogatur .

Anno Domini MCCCCLXXXV. in die san-
 ti Sebastiani martyris , conuenerunt Princi-
 pes in Francordia , conuocante eos Domi-
 no Friderico Imperatore , ob cuius tamen
 absentiam inacte recessum est . Hoc anno
 discordia valde dispendiosa facta est inter E-
 piscopum Hildesheyensem & ciuitatem Hil-
 desheym . Episcopo adhæsit Dux Brunswicen-
 sis Wilhelmus cum filio suo Heinrico ; ciui-
 tati iungebantur Ciuitates fœderatae assumpto
 Comite de Lippia in Capitaneum belli . Wil-
 helmus Dux Brunswicensis , dolose captiuau-
 it fratrem suum Fridericum (quem ciuitas
 Brunswig elegit sibi in Principem ,) fingens
 eum furiosum & vinculauit eum : propter
 quod

TERRÆ MISNENSIS.

71

quod factum epidani Brunswicenses valde fuerunt commoti. Sed & Comes de Ritterberge, cuius filiam habuit vxorem dictus Fridericus, adunatis sibi (vt ferebatur) circiter quingentis equitibus, intravit Saxoniā vindicaturus & liberaturus generum suum. Sed dum inconsultius agit cum omnibus suis prostratus & captiuatus est, circa medium æstatis. Post hæc venit Comes de Lippia cum valida manu ciuitatum foederatarum & intravit Diocesin Hildesheyensem conculsans & desolans vniuersa; nec erat qui resisteret. Sicque terra ista quæ ante ipsius adventum erat quasi ortus voluptatis, ex post & per eum facta est solitudo deserti. Hoc etiam anno in die Cœnæ Domini, Wienenses in Austria post diutinam obsidionem tradiderunt ciuitatem Matthiæ Regi Vngariæ, qui etiam in odium Friderici Imperatoris, quasi totam Austriam vastauit, Imperatore in Alemanniam fugiente. Rex Vngariæ obsedit Nouam ciuitatem in Austria, qui tamen viriliter resistiterunt eidem. Maximilianus Dux Burgundiæ, filius Friderici Imperatoris diu fatigatus bello intefstino propriarum ciuitatum, Deo auxiliante in omnibus, & contra omnes prosperatur, subiectis sibi ciuitatibus Galliarum, Burgundiorum & Flamingorum, celebreque valde laude famatur. Hermannus Hassiæ Land-

E 4

grau-



grauius Archiepiscopus Coloniensis , in pro-
pria persona celebrat ordines , consecrat vir-
gines , & alia Episcopalia exercet officia , a-
mator pacis & propagator , reformat mo-
nasteria utriusque sexus quorumcunque or-
dinum , propriis impensis , subleuat pauper-
tatem reformatorum , largas dat Eleemosy-
nas , visitat monasteria pro deuotione , co-
medit cum religiosis in refectorio , tribus aut
quatuor seruitoribus contentus , sine tamen
quocunque grauamine monasteriorum , imo
cum magno emolumento , quoniam refe-
ctiones ipse de suis disponi facit , tam sibi
quam fratribus , recuperat bona impigno-
rata Ecclesiæ suæ , puta oppida , castra , vil-
las , thelonea & alia . Vir facundus , pru-
dens , scientia litterarum floridus , a puerō
Deo deuotus ; propter quæ & alia valde
celebri laude , ab vniuersæ ætatis sexus con-
ditionisque hominibus percolitur , diligitur
nihilominus ab omnibus . Sed quia adhuc
viuit & homo est , qui nunquam in eodem
statu permanent , speratur ex tali profectu
finis optimus . Similiter Dominus Bertholdus
de Henneberg Archipræsul Mogunti-
nus Doctor insignis , pacificus , amator iusti-
tiae , pauperem ut diuitem per se audit , cau-
sus discutit , & quantum patitur æquitas ce-
leri fine negotia seu simultates terminat ,
monasteria reformat , possessiones Ecclesiæ
suæ

TERRÆ MISNENSIS. 73

fuæ alienatas pro posse recuperat, missas celebrat, stationibus solemnibus Cleri interest; Auctoritatem in casibus reseruatis in foro animæ mendicantibus denegat propter quod illi soli ei detrahunt, cunctis cum laudantibus. Puto quod istos mendicantes designauit Propheticum dicitur: Si non dederit quis in ore ipsorum sanctificant super eum prælium. Pariformiter Dominus Ernestus, Administrator Magdeburgensis, & Halberstadiensis Ecclesiarum, adhuc admodum iuuenis puta XXIII. vel circa annorum; & ipse pro suo posse reformaret monasteria, si consiliarios adhoc inclinatos haberet: facit tamen quod potest, & quantum coniicitur diligit reformatos, gaudet in cultus diuinis augmento, proficit sicut ætate ita & sapientia & eloquentia, amaret concordiam, sed propter certos sibi rebelles, puta Magdeburgenses & Halberstadtenses & alios quosdam, cogitur belligerare. Dominus Deus det pacem & concordiam & faciat eum crescere in omni bono ac perseverare in finem, Amen! Iste Dominus Ernestus in vigilia Paschæ præsentis anni fuit ordinatus in Presbyterum per Dominum Tylonem Episcopum Merseburgensem in castro Gebichenstein. Ernestus Senior Dux Saxonie Pater Ernesti præfatis, in venatione cecidit cum eo quo valde grauiter, vix semiuius permanens

nens. Romæ sub fundamento cuiusdam do-
mus fuit repertum corpus defunctæ intel-
egrum & molle ac si eadem die fuisset sepul-
tum, cum tali scripture: TULLEOLA FI-
LIA MEA VNICA QVÆ NVNQVAM
PECCAVIT NISI QVOD MORTVA FV-
IT INFELIX PATER POSVIT TULLIVS
MARCVS CICERO. Duces Saxoniæ Er-
nestus & Albertus, qui vsque huc vixerunt
communiter cum vxoribus & liberis diuise-
runt prouincias. Imperator Fridericus exul
incertis manet sedibus. Nunc Nurmbergæ,
nunc Bambergæ, nunc Wissenburg, nunc
Aquisgrano, aut alias circuit. Anno Do-
mini M CCCC LXXXVI. Rex Neapolitanus &
Vesinenses cum valida adiutorum manu,
pugnarunt contra Dominum Innocentium
Papam octauum, & indifferenter spoliaban-
tur Romipetæ in Italia, magni & parui, cle-
ri & laici, nec vlli concedebatur ingress-
sus Romæ. Circa conuersionem Sancti Pauli
iterum conuenerunt Principes ad Frangfor-
diam, vbi etiam Imperator Fridericus cum
filio suo Maximiliano Duce Burgundiæ ade-
rat, & tractatum est de electione noui Re-
gis Romanorum. Et post consilia habita-
tandem agente Alberto Marchione Branden-
burgense, de quo supra, consensum est in
Maximilianum Imperatoris filium, Burgun-
diæ & Austriae Ducem, qui & statim coro-
nam

TERRÆ MISNENSIS. 75

nam Regni Frangfordiæ & post Aquisgrani
percepit. Albertus iste Marchio Brande-
burgensis ibidem in Monasterio Prædicato-
rum existens in balneo subito defunctus est,
& Episcopus Augustensis usque ad mortem
infirmatus. Sed & hoc non tacendum,
quod plurimæ ciuitates Galliarum , existen-
te Maximiliano in Frangfördia, defecerunt ab
ipso , quas tamen rediens recepit , capitis
truncatione auctoribus defectionis multatis.
Margaretha Ducissa Saxoniæ , mater Erne-
sti & Alberti obiit , & in castro Altenburg
est sepulta. In die Sancti Petri ad vincula
Dominus Ernestus Administrator Magdebur-
gensis & Halberstadtensis Ecclesiarum con-
tractis vndeunque copiis equitum ac pedi-
tum , machinarumque diuersi generis , ob-
sedit Halberstadt propter rebellionem ciui-
um & inobedientiam. Et Halberstadtenses ,
destructa noua ciuitate & monasteriis
in ea sitis , resistere parabunt ; sed tandem
circa festum Bartholomei , muris ex parte
non modica euersis , iamiamque captione
imminente , salubriori vii consilio dextræ
petierunt & accipere meruerunt. Sicque
in crastino Sancti Bartholomæi , Dominus Er-
nestus , ordine equestri copioso satis sti-
patus intravit ciuitatem , rebusque ordinatis
soluta est obsidio. Halberstadtenses mulcta-
ti sunt in decem millibus florenorum & Epi-
scopo

ANNA

76 CHRONIC. TERRÆ MISNENS.

scopo subiecti. Eodem tempore defunctus est Dominus Ernestus Senior , Dux Saxoniæ, Pater Domini Ernesti Administratoris prædicti. Circa medium æstatis Goslarienses obfederunt castrum Hartzborg & obtinuerunt ipsum, quando autem reuertebantur, Dux Henricus de Brunsvig , iunctis sibi equitibus plurimis in media via inuasit eosdem & fugientes in monasterium Reichenberg persequens, captiuauit circa quadragesimos, alii dixerunt, sexcentos; & multos interfecit, & sic victoria ciuium versa est in iuctum.

F I N I S.



ANNA.

**ANNALES
VTERO CELLENSES**
CONTINENTES
**HISTORIAM MISNIÆ
MARCHIONVM
ANTEHAC NVNQVAM EDITI
QVOS
IN LVCEM PRIMVS
PROTRAXIT
BVRCARD GOTTH. STRUVE.**



ANNALES
AETERO CERTINNES
CONTINENTES
HISTORIAM MISERICORDIAE
MARCIIONI
ANTIQUEM INNOVAM EDIT
600
IN LACEM PRIMUS
PROTAXIT
BARTOLOMÆ STRABON



DE ORIGINE PRINCIPVM MAR-
CHIONVM MISNENSIVM ET
LANDGRAVIORVM THV-
RINGIÆ.

Wittkindt primus Stipes.

§. I.

Emporibus Caroli Magni Im-
peratoris, qui triginta an-
nis pugnauit contra Saxon-
icam gentem; fuit tunc in
Westfalia & Saxonia ma-
gnus Dux Witkindt qui præ cæteris Principi-
bus Saxonie & Almaniæ durius Carolo resi-
stebat. Tandem diuina inspirata gratia spon-
te fidem Christianam suscepit, & a Sancto Bo-
nifacio Archiepiscopo Moguntino & funda-
tore Fuldensis Ecclesiæ, fuit apud Atiniacum
baptizatus, quem Carolus Rex per se de sacro
fonte suscepit anno post incarnationem Chri-
sti septingentesimo octogesimo quinto. Ge-

F sta

78 DE ORIG. PRINC. MARCH.

sta itaque Witkindi magni Ducis gloria reperies in Historia Caroli Magni & in Chronica de Origine Saxonum & fertur in Ecclesia Babebornensi fore sepultus. Iste Wittkind dux fundauit primo castrum prope Salam fluuium quod hodierna die cernitur & dicitur Wittin, quod a nomine suo proprio Wittkind, Wittin appellari voluit. Similiter & ciuitatem & Castrum Wittinberg fundauit, quod hodie Dux Saxoniae possidet. De quo Wittkindo in Chronica de Origine Saxonum ita scriptum reperies: Wittkind quoque, qui inter eos scil. Saxones, & claritate generis & opum amplitudine eminebat; & qui perfidiae autor & incensor indefessius erat ad fidem Caroli sponte veniens apud Atiniacum id est in Attinbach baptisatus & a Rege de fonte baptismatis susceptus est: Sicque Saxonia tota est subiecta, & sequitur ibidem.

Wigebertus secundus Stipes.

§. II. Wittkindi filius fuit Wigebertus, Christianæ religionis cultor deuotus; qui genuit filium quem Waltbertum vocauit, qui & ipse ab infantia religiosus, cum factus esset vir, Romam, causa orationis & reliquiarum acquirendarum, tetendit, corpusque S. Alexandri, filii sanctæ Felicitatis, integrum accipiens a Papa tunc temporis Leone, in Saxoniam detulit & in loco qui dicitur Wigaltinghusen locauit.

Walt-

MISN. ET LANDG. THVRING. 79

Waltpertus tertius Stipes.

§. III. Waltbertus Witkindi Ducis nepos, genuit quatuor filios, ut reperies in Cronica de vita & regno Henrici I. Imperatoris in fine: scilicet Theodericum, Witkindum, Lynnodt & Regenbern. Iste est Regenbern qui pugnauit contra Danos Saxoniam vastantes multo tempore, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursibus usque in hodiernum diem. & subditur ibidem: Et hi erunt ex stirpe magni Duci Wittkindi, qui bellum potens gesit contra Carolum per triginta annos. Dismissis itaque aliis Theoderici genealogiam prosequar, de quo Principes Thuringiae Landgrauii & Marchiones Misnae descenderunt. Et iste Theodericus pronepos Witkindi in Cronica de Origine Principum Marchionum, quam vidi in sereno monte Sancti Petri & in Cronica aulae Episcopalis Merseburgensis scribitur, fuisse tempore Ottonis primi Imperatoris, egregiae libertatis Vir; & non scribitur Dux, Cuius causam in Cronica de Carolo M. sic reperi. Nam postquam Witkindus Dux cum omnibus Principibus Saxoniae fidem suscepit; Carolus instituit octo Episcopatus in Saxonia, & sustulit Principatus dignitatem temporalem, & constituit Episcopos Principes, ita quod temporales Domini fecerunt homagia Episcopis. Et hoc factum fuit pro conseruacione fidei. Quia Saxones valde duruissent contra fidem & saepius prius a fide re-

80 DE ORIG. PRINC. MARCH.

cesserunt. Ut ergo per Episcopos tam spiritualiter quam temporaliter possent in fide conservari, dignitates principatum sustulit Carolus. Ideo scribitur Theodericus iste fuisse egregiae libertatis vir & non dux.

Theodericus quartus Stipes.

§. IV. Theodericus itaque Pronepos Witkindi magni Ducis, Comes paterni castri in Wittin, genuit duos filios Dedonem & Fidericu, & filiam Mechtildem, quæ fuit vxor Henrici I. Imperatoris. Hæc Mechtildis Imperatrix vna cum Henrico Imperatore suo marito fundauit Monasterium monialium in Quedlingenborg & in Northussen, & in Quedlingenborg ambo sepulti sunt, genuitque Ottonom Magnum Imperatorem, qui fuit fundator Ciuitatis & Archiepiscopatus Magdeburgensis, Merseburgensis, Missenensis & Czicensis.

Dedo quintus Stipes.

§. V. Dedo filius Theoderici, abnepos Witkindi magni Ducis, Comes in Wittin, Frater Mechtildis Imperatricis & Avunculus Ottonis Imperatoris, mortuo Bayone Merseburgensi Comite mediante Giselero Archiepiscopo primo Magdeburgensi Comitatum eius, qui inter Wipperam & Salam & Willebertre fluuios situs est, acquisiuit, duxitque præterea vxorem Thebergam filiam Theoderici Marchionis de Brandenburg, genitque ex ea filium Theodericum nomine, & eundem Dedonem interfecit Werinzo Marchio, cuius

MISN. ET LAND. THVRING. 81
ius Marchiam idem beneficio Regis obti-
nuit.

Theodericus sextus Stipes.

§. VI. Theodericus iam tertius, Theode-
rici filii Dedonis, filii Theodorici primi filius,
acepit vxorem filiam Eckehardi Marchionis
de Thuringia qui fundauit castrum Eckers-
berg Mechtildam nomine, Sororem Herman-
ni & Eckhardi & Guntheri natam ex Suenhil-
da matre Geronis Marchionis de Lusacia. Pro-
quo sciendum quod temporibus primi Ottonis
Imperatoris fuit Marchio in Lusatia Christia-
nus nomine, qui habuit vxorem nomine Hid-
dam, genuitque ex ea Geronom Colonensem
Archiepiscopum & Ditmarum Marchionem.
Hi fratres cum matre Hidda Abbatiam prope
Salam Monchenueborg fundauerunt. Dit-
marus Marchio Lusacensis duxit vxorem fi-
liam Hermanni Ducis de Luneborg Suanhil-
dam ex qua genuit filium Ditmarum paterni
nominis, qui ultra genuit Odonem, qui sine li-
beris mortuus fuit, & in eo posteritatis propa-
gatio cessauit ; & posthoc ad Genealogiam
Dominorum Principum deuenit , vt infra di-
cetur. Post mortem vero Ditmari Marchio-
nis Lusatiae ; Suanhildam eius relictam accepit
Eckehardus Marchio Thuringiae ; qui fundauit
Nuemberensem Episcopatum & Monasteri-
um St. Georgii ibidem. Cuius sepultura cum
vxore Suenhilda hodie in medio Ecclesiae cer-
nitur,

82 DE ORIG. PRINC. MARCH.

nitur, & eorum Statuales imagines cum eo
rum armis.

De collateralibus Dedonis Marchionis.

§. VII. Intercepta paulisper Linea di-
recta descendantium de Friderico fratre De-
donis, filii Theoderici primi, collaterali linea
prosequamur. Fridericus Comes frater Dedo-
nis Marchionis, beneficio patris Theoderici &
auunculi Ottonis Imperatoris Yleborg castrum
& ciuitatem obtinuit. Ut in *Cronica Sereni*
Montis habetur: Sed idem Fridericus filios
haeredes masculos non habens, sed filias tan-
tum; ideo moriturus dicto Theoderico Mar-
chioni patruo suo, castrum Yleborg assignauit,
ista quidem prædiu[m] omne quod remanferat
filiabus suis tradetur. Hic moritur in sancta
nocte Epiphaniæ, in dicto Castro suo Yleborg.
Cuius castrum cum omnibus bonis quæ ha-
buit in pago Suzelitz prædictus Comes Theo-
dericus beneficio Imperatoris obtinuit.

§. VIII. Nunc ad directam Lineam rea-
vertendo, Theodericus Marchio prædictus &
Comes in Wittin & Ylenborg ex Mechtilde
filia Eckhardi Marchionis de Eckersborg ge-
nuit sex filios & unam filiam. Primogeni-
tum Fridericum, Dedonem, Tymonem, Gero-
nem, Conradum, Riddagum, & filiam Hyd-
dam. Sed iuxta stilum promissum primo pro-
sequar generationem Tymonis, ex eo quod ipse
est Stipes Principum de directo.

Tymo

Tymo septimus Stipes.

§. IX. Tymo præterea remansit in patrio castro Wittin ac duxit vxorem Ydam filiam Ducis de Northeym, genuitque ex ea duos filios Dedonem & Conradum fundatores Monasterii Sti Petri in monte Sereno, ut latius in sequentibus tangetur. Hic Tymo Marchio cum uxore sua fundauit Ecclesiam Nemeeensem, in vulgari Nemick sitam prope oppidum Bitterfeld. Hanc in nomen & dignitatem Abbatiae suis priuilegiis confirmauerunt, & primus Abbas inibi Reinhardus dicebatur. Sed ex post filius suus Conradus Monasterio Sancti Petri Sereni Montis, auctoritate Conradi Magdeburgensis Archiepiscopi anno Domini M C XXXVI. incorporari procurauit; quam hodie quod ad Ius Patronatus tantum tenent & possident fratres dicti Montis. In fundatione Gozocensis cenobii, vulgo Gozzig prope Wissenfels, in priuilegio fundationis legitur & scribitur, quod predictus Tymo Marchio cum fratre suo Gerone & Dedone Comitibus in Brene, consecrationi Ecclesiae seu Monasterii affuerit Anno M L III. Præterea idem Tymo genuit & filiam nomine Mechtildem, quam Gero Comes de Bauaria accepit vxorem, qui genuit ex ea Wicmannum Archiepiscopum Magdeburgensem & Conradum fratrem eius. Quo defuncto accepit eam Ludouicus alias Comes de Bauaria, pater Ludouici Abbatis Merseburgensis. Ut in Cronica Sereni-

34 DE ORIG. PRINC. MARCH.

Montis habetut, Hic Tymo comes de Wit-
 tin egregius, in Cronica Merseburgensi aulæ
 Episcopalis scribitur, primo principatus digni-
 tatem dono Imperatoris acquisiuisse, hoc mo-
 do: Eo in adolescentia constituto, dum pa-
 tre priuatus sub tutela matris adolescens nutri-
 retur; accidit ut in die Pasche, cum aliis coe-
 taneis suis per segetes equitaret, alter iuuenis
 comes, eum velocitate equi quo insidebat præ-
 currit & arripuit, sibique alapam magnam in
 cursu equi intulit, quod cum flendo adole-
 scens Tymo matri conquereretur, illa respon-
 dit: Tranquillo & patienti animo esto dile-
 cte fili, anno futuro meliorem equum tibi
 comparabo, vt vicem & talionem sibi possis
 retribuere: Sicque anno sequenti adolescens
 in velocissimo equo pristine alape memor eo-
 dem die sancte Pasche iuuenem cursu veloci-
 ore præueniens, gladio quo erat præcinctus in
 vltionem præteritæ alapæ interfecit; quare
 propter homicidium tale, mater eum ad Curi-
 am Imperatoris destinavit; ubi tanta creuit
 virilitate, strenuitate & bonitate, vt Magister &
 Praefectus totius Imperialis Curiæ constituere-
 tur. Tandem cum Imperator quoddam ca-
 strum firmissimum expugnare vellet, atque
 Tymo Comes, princeps militiae & magister
 cum esset in acie semper belli & pugnae, fertur
 Imperator dixisse: Vere hunc Tymonem vi-
 rum tam strenuum & bellicosum principem fa-
 ciam proxima facultate se offerente. Sta-
 -tum

MISN. ET LAND. THVRING. 85

tim posthac superuenerunt nuntii afferentes Marchiam Misnensem vacare; illico Comes de Wittin euocatur, & Marchia Misnensis Imperiali dono magnifice inbeneficiatur. Quo facto confessim rumor in castris Imperatoris intonuit, quod isti de castro obfesso, machinas Imperatoris incidissent, quibus quantocius Tymo Marchio tunc Misnensis occurrit atque ibidem in conflictu mox interiit. Quare ex post filii sui Dedo & Conradus, licet ius in Marchia Misnensi per mortem patris tunc habuissent; tamen propter repentinam mortem Imperatoris & patris, statim possessionem habere non poterant, sed demum tempore Lotharii Imperatoris, Conradus filius eius eam pacifice acquisivit, ut infra dicetur.

De collateralibus Tymonis.

S. X. Fridericus primogenitus frater Tymonis, factus fuit maior Praepositus Magdeburgensis postea Monasteriensis Episcopus. Secundus scilicet Dedo, obtinuit Marchiam Odonis de Lusatia, qui sine heredibus mortuus fuit, ut supra est dictum. Istius Odonis meminit Passio sancti Adelberti vbi dicitur: Odo pugnax Marchio laceris vexillis terga vertit. Hic Dedo duxit vxorem matrem Ottonis Marchionis tunc de Orlamunda & de Wymar, nomine Odam, genuitque ex ea filium Dedonem iuniorum, qui in pueritia posteriora confossum interiit. Genuit & duas filias, quarum una Adelheydis nupsit Ernesto Marchioni de Bavaria ge-

nuitque ei Luppoldum Marchionem. Altera filia Agnes, nupsit Friderico Comiti Palatino de Gosig & Sumerscheborg, peperitque ei tres filios Adelbertum Archi-Episcopum Bremensem, Dedonem & Fridericum Comites Palatinos & fundatores Gozocensis Monasterii prope Salam, quod fundatum & dedicatum fuit, ut sus per scribitur Anno MLIII. Tymone Marchione & Gerone fratre ipsius, Comitibus de Brene & de Wittin presentibus, de quo ple ne constat in fundatione dicti Gozensis Mo nasterii. Item præfatus Fridericus genuit filiam nomine Odam, quæ nupsit Adelberto cuidam nobili dicto Schencke de Sumerscheborg, genuitque ex ea Fridericum Comitem Palatinum iuniorem. Defuncto vero Ottone Marchione de Orlamunde & matre ipsius Oda, præfatus Dedo Marchio Lusatiae viduam Ottonis priv igni sui accepit secundam vxorem. Et sic nota casum, quod quis successive potest habere de iure in matrimonium, illius uxorem eius prius habuit matrem vel sororem. Hic Dedo Marchio prius habuit Odam matrem Ottonis; postea recepit Adelheydem ipsius viduam. Haec Adelheydis fuit nata de Brabantia ex castello quod dicitur Levene, genuitque Dedo ex ea alios filios, paterni nominis Dedonem & Hein ricum Marchionem de Yleborg seniorem & Conradum Comitem, qui apaganis occisus fuit. Iste Heinricus de Yleborg duxit uxorem Ger trudem, quæ erat de Brunsvig, genuitque ex ea

MISN. ET LAND. THVRING. 87

ea Heinricum Marchionem de Yleborg iunioriem, qui Conradum Comitem de Wittin captivavit, ut infra dicetur. Hic Heinricus mortuus fuit sine heredibus, cuius Marchiam Conradus comes & primus Marchio Misnensis & Lusatensis, ut plenius in subsequentibus dicitur, dono Lotharii Imperatoris obtinuit.

§. XI. Quartus filius Gero frater Tymonis Comes de Brene duxit Bertam, relictam cuiusdam Popponis de Wippera, genuitque ex ea tres filios, Theodericum Comitem, & Wilhelmum Comitem de Kamberg & Guntherum Zeizensem Episcopum; & duas filias Willam Gerbstattensem Abbatissam, & Thebergam Praepositam Monasterii de Gerrenode. Huius Popponis frater fuit Cono senior de Wippera. Quintus filius Conradus comes frater Tymonis duxit vxorem, sororem Theoderici senioris de Kathelenburch quae Ochtildis dicebatur, peperitque ei filiam nomine Bertradam quam duxit Bermgerus Comes, frater Ludouici comitis de Thuringia, genuitque ei filium Conradum & alias quatuor, quarum unam Kunegundim accepit Tymo de Wippera, quae genuit Ludouicum. Sextus filius Riddague, mortuus est sine liberis. Hydda Soror ipsorum nupsit Duci Bohemico & genuit Guntherum Patriarcham Aquileyensem.

§. XII. Dedo filius Thymonis accepit uxorem filiam Wigberti Marchionis de Grätz fundatoris Pegauiensis Monasterii, nomine Bertham,

tham, genuitque ex ea filiam Mechtildem, quæ nupsit Comiti Palbodoni Babmbergensi aduocato. Idem Dedo Ecclesiam beati Petri Sereni Montis incepit, sed non perfecit. Nam orta fuit dissensio inter eum & uxorem suam Bertam; ita quod eam aliquot annis repudiauit; tandem monitis Episcoporum Magdeburgensis & Merseburgensis & aliorum, sibi eandem reconciliauit. Et ex post crucem Dominicam assumens cum potentia sua ad terram sanctam se recepit fratri suo inceptum opus sereni Montis monasterii committens: Demum de terra dominici sepulchri rediens, in breui sine heredibus masculis moriens decessit; apportauitque secum partem satis notabilem de ligno Domini. Est autem crux permodica, argento inclusa, quæ usque hodie in sereno Monte cernitur. Berta itaque vxor sua, Praeposituram in Scolam, in honorem beatæ Virginis Mariæ fundauit, & satis habunde dotauit, quam Ecclesia Pegauensi, fundationi Pattis sui incorporari procurauit, & hodie ab eisdem Monachis possidet. Wigbertus pater eius, vir strenuus & bellicosus, multa prelia habuit cum vicinis suis de castro Nulssin, Teuchera, prout in vita sua pulchro stilo conscripta in dicto Pegauensi monasterio reperies. Hic Wigbertus habuit filiam Ducis Bohemiae in vxorem; habuit & filium Henricum, qui dono Imperatoris ex post Lusaciam obtinuit; qui mortuus fuit sine heredibus, & in eo generatio Wigberti fundatoris

Pega-

MISN. ET LAND. THVRING. 89

Pegauiensis cessavit, & Marchia Lusatiae ad
Conradum Marchionem Misnensem, de quo
sequitur peruenit.

*Octauus Stipes de Conrado filio Tymonis pri-
mo Marchione Misne & Lusacie.*

Conradus Octauus Stipes.

§. XIII. Conradus filius Tymonis de Wittin mortuo fratre suo Dedone sine heredibus masculis, ipse inchoatum Monasterium Sereni Montis perfecit, anno ab incarnatione Domini MCXXIII. Indictione 2. præsidente summo Pont. Calisto II. Pontificatus eius anno VI. Imperante Henrico huius nominis quarto, imperii eius anno XIII. Anno ab ordinatione primi Archi-Episcopi Magdeburgensis CLVI. sub Rutherio Archi-Episcopo duodecimo, Pontificatus eius anno quarto, a fundatione Hallensis Ecclesiæ nouis operis anno nono. Hic Conradus fraternali deuotionis fidelis executor, de prædiis dedit Ecclesiæ Sereni Montis centum viginti mansos, item dedit Ecclesiam in Lobichinne cum XXVI. mansis & alia multa; prout in priuilegiis & in Cronica dicti Monasterii clare habetur. Accepit siquidem inclitus Comes in uxore sua filiam cuiusdam nobilissimi viri de Suevia, quæ Luchardis est dicta. Hæc omni religiositate composita erat, & quanta apud Deum eius deuotio flagrabat, elemosinarum ipsius erogatio declarabat. Nam non solum suis exhortationibus mariti deuotionem ad meliora semper inuitando promovit, verum etiam

90 DE ORIG. PRINC. MARCH.

etiam prædia plurima de suis pecuniis empta,
Ecclesiæ prædictæ Sereni Montis conferebat.
Ex quibus sunt **xviii.** mansi in villa Slizzekrin-
dorff **xiiii.** mansi in Saltzmunde, sex mansi in
Vdene quinque mansi in Krudessall.

De Collateralibus Conradi Marchionis.

§. XIV. Post fundationem & consecra-
tionem dicti Monasteri anno MCXXVI. grauissi-
ma guerra exorta est, inter Henricum Marchio-
nem iuniorem de Yleborg & de Misnia, ac præ-
fatum Comitem de Wittin. Nam idem Mar-
chio Henricus fuit filius Henrici Marchionis
Senioris, filii Dedonis, fratris Tymonis, ut su-
pra dictum fuit, & sic fuit patruus Conradi Co-
mitis de Wittin; Causam igitur guerræ & pu-
gnæ inter eosdem cognatos, in Cronica Sereni
montis sic reperi. Accidit ut quidam, occa-
sione narrandi aliquid coram Conrado Comite
de Wittin, Henrici Marchionis mentionem fa-
ciens, eum cognatum suum appellasset; Co-
mes Conradus cum contemptu respondit; eum
qui filius esset coci, cognatum suum non esse.
Huius autem sermonis occasio talis exstitit.
Henricus Marchio Senior de Yleborg, pater
huius Henrici, vxorem pregnantem fertur reli-
quisse. Quod cum illa in sepultura ipsius, vte-
ro tumenti demonstrato, præsentibus indicas-
set (quia Conradus Comes Marchionis mortui
hæres futurus esset, si filium non reliquistet) qui-
dam ministerialium eius, huiusmodi rumorem
diuulgauerunt, quod ipsa puluinari vel plumati-
co ventri alligato, prægnantem se esse hoc arti-
ficio

MISN. ET LAND. THVRING. 91

ficio mentiretur. Quo illa cognito, die quā
dam, yniuersis mariti sui ministerialibus con-
vocatis, in medio ipsorum in loco eminenti
astans, deuoluto ab humeris vsque ad nates
pallio, nudam se ostendit, dicens. Ut ipsi, si
vere esset impregnata iudicarent, postquam ve-
ro enixa esset rursus illi iterum sparserunt rumo-
rem, quod feminam peperisset eamque pro fi-
lio cuiusdam pauperculæ, quæ maritum habe-
bat cocum & eadem hora pepererat, commu-
tasset. Hac ratione Conradus Marchio, Henri-
cum coci filium appellauit, quod verbum yi-
cissim multis sibi referentibus, ad Marchionis
cum notitiam peruenisset, indignatione graui
permotus, bellum Comiti Conrado intulit,
eumque in bello captiuauit & in castro Kirch-
berg custodie traditum lecto ferreo & multis
malis oppressum detinuit, facta sunt hæc anno
Domini MCXXVI. præcedenti anno mortuo
Henrico IV. Imperatore, x. Kal. Junii. Anno
seuenti Lotharius Geuehardi comitis Ducis
Saxonia filius, Moguntiæ a Principibus elige-
batur in Regem Romanorum, quo electo Hen-
ricus qui Conradum captiuum detinuit, vitam
finiuit, cuius morte in castro Kirchberg nuntia-
ta, cum eam ex luctu familie Conradus capti-
uus intellexisset, persuasis custodibus suis, di-
missus est, & ad Lotharium alias Luderum Re-
gem Romanorum profectus, interuentu reginæ
Richæ cuius erat cognatus, Marchiam Mis-
nensem dono & beneficio Regis Lotharii obti-
nuit,

92 DE ORIG. PRINC. MARCH.

nuit, atque haeres totius proprietatis Henrici Marchionis, qui eum captiuauerat, vna cum castro Yleborg effectus est. Sicque eundem nobilissimum comitem Deus omnipotens deiecit, & rursus in sublime, sicut voluit, euexit. Ab isto quidem Conrado Marchiones Misnenses, quasi primo stipite, genealogiam Principum Misnensium computare olim incepérunt.

§. XV. Hic inclitus Princeps, deuotionis ~~de~~ incensus, in subsidium terræ sanctæ, ad sepulchrum Dominicum recuperandum transiit cum magna milittum suorum & ministerialium multitudine, Anno Domini MCXXXV. Anno denique sequenti videlicet MCXXXVI. Lotharius Imperator, magnam conuocationem & curiam Principum apud Moguntiam fecit, ad quam cum Heinricus filius Wigberti de Groetz & Marchio de Lusatia venisset, ibidem Moguntiæ mortuus fuit sine heredibus & sic Marchia Lusatia ad Imperatorem extitit deuoluta. Redeunte itaque Conrado Marchione Misnenfi de terra sancta & sepulchro Dominico, dono & infeudatione Imperatoris Marchiam Lusatia & comitatum Groetz nec non totam Heinrichi proprietatem obtinuit: sicque per maxime ditatus & magnificatus diuitiis & honoribus ultra omnes Principes extitit. Nam omnem terram a fluvio Nissa vsque ad Thuringiam & Comitatum Wittin; comitatum Brene, Comitatum Yleborg, comitatum Groetz, comitatum Rochlitz, cum potentia possedit. Et sicut eundem

dem Principem inclitum Deus omnipotens bonis exterioribus sublimauit ita dono filiorum & filiarum feliciter secundauit. Nam vxor ipsius nobilissima Luckardis peperit eidem sex filios; primogenitum Heinricum, qui in pueritia mortuus est: Secundum Ottone Marchionem Misnensem: Tertium Theodoricum Marchionem Orientalem de Lusacia: Quartum Dedonem, Comitem de Rochlitz: Quintum Heinricum Comitem de Wittin: Sextum Fredericum Comitem de Brene. Et sex filias, quarum tres in Grebstede Monachas fecit; Prima vocabatur Oda; Secunda Berta, quæ fuerunt Abbatissæ in Grebstede: Tertia Agnes, facta fuit Abbatissa in Quedlingeborg: Quarta Gerdrudis, nupsit Palatino Reni, quæ Viro defuncto Christum fecit heredem. Nam in honorem beati Theodori Martiris construxit Monasterium in Babmberg sanctimonialium: ibidem DEO famulantibus se socians in sancta conversatione vitam sibiuit. Quinta filia Adela, nupsit Regi Dahorum Suenoni, demum occiso Suenone a Danis, nupsit Alberto Marchionem Brandenburgensi. Sexta filia Sophia nupsit Gerhardo Comiti de Bauaria, filio Sororis Lotharii Imperatoris. Anno præterea MCXXXVI. Imperator Lotharinus, rediens de Italia, apud Brenduam villam in faubibus Alpium mortuus fuit. Cuius corpus in Monasterium Sancti Petri in Luter, in Saxonia delatum & sepultum est. Post quem Conradus, frater Friderici Du-

94 DE ORIG. PRINC. MARCH.

cis Saxonie in Regem Romanorum eligitur anno MCXXXVIII. Contigit autem temporibus Conradi, fieri commune Paslagium in subsidium terrae sanctae per Principes aquilonares & Almannos. Et huiusmodi expeditionis promotori in hys partibus fuit Fridericus Archi-Episcopus Moguntinus, & sanctus Bernhardus Clarenallensis Abbas Cisterciensis Ordinis. Fuitque cum eo Wigmannus Magdeburgensis, Rudolphus Halberstadiensis, Wernherus Monasteriensis, Rinhardus Merseburgensis, Wickerus Brandenburgensis. Anselmus Habelbergensis, Heinricus Maramensis Episcopi: Wyboldt Corbiensis Abbas, & Conradus Marchio Misnensis & Lusaciæ, de quo hic agitur, fuitque in eodem Comitatu Albertus Marchio Brandenburgensis, Fridericus de Sumirschenborg Palatinus Comes Saxonie, & Hermannus Comes Palatinus, frater eius cum aliis multis quorum numerus erat LX. millia virorum.

¶. XVI. In alia expeditione eiusdem Societatis, princeps erat Albertus Bremensis Archi-Episcopus, Titmarus Ferdensis Episcopus: Heinricus Dux Saxonum: Conradus Dux Burgundiæ: Hertwicus Princeps nobilis, cum XL. milibus. Item in alia parte Rex Dacie, cum centum suorum conprouincialium milibus. Frater Ducis Polonorum cum XX. milibus. Item Ludouicus Rex Francie cum LX. milibus. Hac scripsi pro tanto, & collegi, quonodo tot milia hominum poterant tunc comportari ex devo-

cio-

MISN. ET LAND. THVRING. 95

cione fidei, cum hodie nostri temporis pro fide contra gentiles rarus vel nullus appetet propugnator strenuus. Ad stylum nostrum reuer-tamur. Tempore quoque medio, interim quod Conradus Marchio Misnensis & Lusacie fuit in transmarinis partibus secundario cum præscri-tis, accidit, Vxorem ipsius Luckardem naturæ debitum persoluere & mori isto modo : Con-tigit Nobilem Dominam venire ad Montem Serenum Sancti Petri, ibique se fleuobothomam fecit. Sequenti seu altera die, petitionem ali-quam præposito Meinhardo porrexit, de qua illam noluit exaudire. Pro qua re indignata ad Monasterium Grebstede ad filias suas se recepit, ibique ex motu animi sui, ut fertur, languorem incurrit, ex quo defuncta est xiiii. Kalend. Julii, anno Domini MCXLVI. Filiaque ipsius Abba-tissa existens consilio Hogeri Comitis de Mans-feldt, qui tunc aderat, eam ibidem in Grebstede sepelivit. Eo tempore Conradus Marchio de partibus transmarinis rediens, cum in partes Bauarie venisset, de morte vxoris nuntium acce-pit, statimq; vbi sepulta esset sollicite requisivit. Quo cognito, simul quo modo de eo Hogerus consilium dederat comperto grauter forens, cum iuramento asseruit, se eundem Comitem Hogerum de Mansfeldt, vt suis illam manibus effoderet, compulsurum. Quod ita factum est. Denique cum redisset Marchio, Hoger-
rus idem indignacionem eius erga se & causam indignacionis intelligens, nec aliter, nisi reddi-

96 DE ORIG. PRINC. MARCH.

to corpore Marchionis, gratiam eius se imperaturum, nocte quadam dimidio iam anno a sepultura transacto, Grebstede cum suis clam venit persuasique pecunia custodibus eam effodiens tulit, &c in Wittin castro, ubi ex condito Marchio eius expectabat aduentum, adduxit, siveque sub ipsa nocte prosequente Marchione Conrado in Serenum Montem Sancti Petri adducta est, ibique sequenti die honorifice sepulta. Porro Marchio in die sepulturæ eius xviii. mansos ad dotem trium Altarium, quæ cum monasterio dedicanda erant, Beato Petro pro requie defunctæ obtulit, sex mansis singulis altaribus deputatis.

S. XVII. Anno igitur MCL. Conradus Marchio Abbaciam Nymicensem, quam Parentes ipsius fundauerant, videns propter tenuitatem reddituum, & etiam ob prauitatem & sterilitatem terræ ratione situs non posse subsistere, eam auctoritate Apostolica Eugenii Papæ, Praeposito Monasterii S. Petri studuit incorporare. Cuius priuilegium sequitur & est tale: Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto, filio, Nobili Viro, Conrado Marchioni Salutem & Apostolicam benedictionem. Literas Nobilitatis tuæ benigne recepimus, & deuocationem tuam quam erga Beatum Petrum & Ecclesiam Dei, ex eis te habere perpendimus collaudamus. Nos ergo tuum laudabile votum de ecclesiis, pro quibus rogasti, adimplere volentes, petitioni tux duximus annuendum. Vnde venerabi-

MISN. ET LAND. THVRING. 97

rabilis fratri nostro Archi-Episcopo Magdebur-
gensi per scripta nostra mandauimus, vt secun-
dum quod a nobis postulasti, studeat hoc effe-
ctui mancipare. Præterea dilectum filium no-
strum, N. Præpositum Misnensem, & Canoni-
cos suos habeas propensiis commendatos, &
eos a prauorum hominum incuribus defendas,
atque in suis opportunitatibus iuves & manu-
teneas. Datum Tusculani quinto Nonas Mar-
tii. Hæ interserere libuit, vt Defensio Mis-
nensis Ecclesiæ doceatur ad Marchiones perti-
nere, etiam auctoritate Apostolica.

¶. XVIII. Anno Domini MCLII. Conra-
dus Imperator obiit, cui successit Fridericus
anno ex post tertio ab Vxore sua, propter no-
tam adulterii, auctoritate Papæ a thoro cum ea
diuortiatus est. Anno denique MCLVI Conra-
dus Misnensis & Orientalis Marchio, gratia
diuina se præueniente, incertitudinem vitæ suæ
considerans, timensque ne si labenti diu inhe-
reere voluisse, ipse quoque simul ad lapsum
traheretur, ipsum mundum relinquere & mo-
nasterium petere stabili secum proposito diffi-
niuit. Volens autem Ecclesiæ Sereni Montis,
ad quam anhelabat, quam iam sufficienter,
prout opportunum fuerat locupletauerat, etiam
in futurum prospicere, Wigmanno Archi-Epi-
scopo filio Sororis suæ Mechtildis ac Alberto
Marchione Brandenburgensi genero suo, filiis
etiam suis omnibus, multisque aliis ecclesiasti-
cis & secularibus viris nobilib. & ministerialibus

accersitis ad locum venit, ut in eorum præsen-
tia, quod intenderet, confirmaret. Timens igitur,
ne post mortem suam lites & contentiones
inter filios de principatu fierent, diuisit eis cum
adhuc viueret Terras suas. Nam Ottoni tan-
quam seniori Marchiam Misnensem; Theodo-
rico Marchiam Lusaciæ: Dedoni Comitatum
Rochlitz, quæ & Terra Plisnensis sive orientalis
dicitur: Henrico comitatum Wittin: Frideri-
co comitatum Brenc distribuit. Post hoc ita-
que possessiones quascunque, vel ipse, vel vxor,
eius, eidem loco contulerant, per manus filio-
rum suorum Ottonis videlicet Marchionis Mis-
nensis, Theodorici Marchionis Orientalis sci-
licet Lusaciæ: Heinrici Comitis de Wittin:
Dedonis Comitis de Rochlitz: Friderici Comi-
tis de Brene offerri fecit, ne aliqua de his post
mortem suam questio nasceretur. Est autem
quantitas harum possessionum centum octogin-
ta tres mansi & dimidiis, exceptis his, quæ ad
Nymicensem Abbatiam ipsis vnitam, pertinent,
quorum unus est septuaginta & dimidiis mansi,
exceptis sylvis & vinetis. Deinde Seniorem
filiorum vel heredum quemlibet suorum senio-
rem in posteritate, Aduocatum loci ordinavit,
& quod omnes secum sepulturam habere de-
berent. His ita dispositis, coram Altari Beati
Petri, veteris hominis vestibus exutus, & re-
gularis vitæ habitu per manus Archi-Episcopi
vestitus, voluntariam paupertatem per amo-
rem Christi amplexus est, cum magno fauore

Prin-

Principum, quibus etiam vberimas deuotio la-
shrymas extorquebat, quod tantam in Viro
tali mutationem videbant. In quo videlicet
diuina Misericordia sensum omnem supergre-
diens luce clarius apparebat. Tunc deinde
tyro Christi filios suos aduocat, ecclesiamque
suam cuius iam membrum effectus fuerat at-
tentius gratiae ipsorum communendat, ut ei tan-
quam in qua patrem suum & matrem sive vi-
uentem seu mortuum haberi scirent & in qua
& ipsi requieturi essent, opem, suam vbique præ-
tendere non dissimularent. Hæc acta sunt in
die Beati Andreae Apostoli, quo die nemus seu
Syluam in orientali parte monasterii sitam &
adiacentem extremam suam oblationem Bea-
to Petro obtulit. Vixit autem post conuer-
sionem suam solum mensibus duobus & die-
bus quinque, mortuus est Nonas Februarii, an-
no vitæ suæ quinquagesimo nono, sepultusque
est a Wigmanno Archi Episcopo Magdebur-
gensi filio sororis suæ, in medio Ecclesiæ, vbi
in dextra eius vxor est sepulta, & post eam in
eodem latere Mechtildis Soror eius, mater Ar-
chi - Episcopi Wigmanni, qui fuit filius Gero-
nis Marchionis de Bauaria, ut supra dictum est,
cuius Exequiis interfuerat Albertus Marchio
Brandenburgensis, qui eius habuit filiam; &
Hermannus filius Alberti & Walo Hauelber-
gensis Episcopus & omnes filii sui, præter
quam Otto Marchio Misnensis, qui aliis prepe-
ditus interesse non potuit.

100 DE ORIG. PRINC. MARCH.

Nonus Stipes fundator Veteris Celleæ.

§. XIX. Otto Marchio Misnensis filius
Conradi recepit Vxorem Hedwigen, filiam Al-
berti Marchionis Saxonice. Hic Otto tam-
que senior Aduocaciam Monasterii in Monte
Sereno obtinuit atque fidelissime a cunctis ho-
stibus protexit. Qui tandem diuina inspira-
cione compunctus, cum ei Cisterciensis Ordinis
institutio innotuisset, voluit & Congregacio-
nem in suo Dominio Misnensi secundum dicti
Ordinis institutionem habere, qua propter Mo-
nasterium Portense Numbergensis dyoce-
sis adiit, ibi conuentum fratum eiusdem Ordi-
nis impetravit atque in Monasterio Cellensi,
quod propriis sumptibus solemniter fundauit,
atque multis prædiis dotauit, introduxit atque
instituit. Causam vero secundariam institu-
tionis illius in Cronicâ Sereni Montis sic repe-
xi: Cum enim Vxor Ottonis Marchionis Hed-
wigis in Monasterio Sancti Petri Sereni Mon-
tis quadam nocte pernoctaret, inter colloquia
quaæ habuit cum fratribus, percepit, Aduoca-
ciam dicti Monasterii ad Seniorem de Stirpe
fundatoris pertinere debere, rediens ad Mari-
cum Marchionem Ottonem, mirari se dixit :
Cur Ecclesiæ illi tantopere prodesse conaretur,
cum filii eius Ius Aduocaciæ in ea habituri non
essent, rectum sibi potius videri, ut ecclesiam
propriam sibi construeret, in qua tam ipsi quam
hæredibus suis Ius dominationis in perpetuum
conuaretur. Et haec occasione Ecclesiam Cel-
len-



MISN. ET LAND. THVRING. 101

lensem fundatam esse ferunt Anno Domini
Millesimo centesimo sexagesimo sexto Kalend.
Junii, quæ antecedenter per glorioſiſſimum Im-
peratorem Fridericum primum ad quartum
Kalendarum Martii dicti anni confirmata fuit,
quemadmodum literæ Confirmationis eius lu-
cidius declarant. Hic ſiquidem Otto Mar-
chio Mifnensis inter cæteras villas & loca quæ
dicto Monasterio donauerat, contulit & villam
Griſtannisdorff, vbi nunc Freiberg ciuitas &
fodina argenti ſita eſt, vbi ex poſt non multo
tempore vix poſt ſex annos, Dominus Omni-
potens aperuit ſibi venas argenti in loco præ-
dicto, habundancius iſum etiam in tempora-
libus remunerando & ſuos hæredes, quod iſi
Monasterio contulerant, ære argenti in fundo
Ecclesie & Monasterii reperio. Pro ipſo fun-
do Freibergensi opidum ſuum *Poſtwm* in Cam-
bium Ecclesie Cellensi in ius & proprietatem
perpetuam donauit, prout in priuilegiis funda-
tionis & donationis Cellensis Ecclesie plenius
continetur. Sicque præfatus Princeps per-
maxime ditatus, ciuitatem Freiberg & Leipzig
& Yſinberg muris firmis circumdedit: Caſtrum
etiam Wiffinfels cum omni iurisdictione ac-
quisiuit, multa prædia pluribus Ecclesiis &
Monasteriis donauit. Inter cætera volens etiam
Monasterium & conuentum fundare Canonici-
corum regularium ſicut Pater ſuus fecerat, vna
cum fratre ſuo Dedone Comite de Rochlitz
Eccleſiam beatæ Virginis circa littus fluuii Mul-

102 DE ORIG. PRINC. MARCH.

Ovva Clauſtri vel Cloſterovve. dan prope Lissnitz, quæ Ovva Clauſtri hodie nuncupatur fundauit, obtinuitque a loci Dyocesano Nuembergenſi Episcopo remiſſionem Decimarum in Sexaginta noualibus quæ vulgariter Lehen dieitur, quod est alias Mansus. Quæ noualia cum pratis & fyluis dictæ Ecclesiæ vna cum fratre ſuo Dedeone donauit, atque ab Imperatore Friderico confirmationem obtinuit, prout hæc clare patent in priuilegio ſuo cum ſigillo Maiestatis ſuæ munito, quod habetur in Monasterio Sancti Mauritii prope Nuemberg ad quam Ecclesiam dictam Præpositura Ovva Clauſtri dinoscitur pertinere. Et ſic ut Patrem ſuum Conradum, ut ſupra dictum eſt, Deus in temporalibus ditauerat & prole plurima fæcundauerat, ſic & ſuum filium Ottонem preſentem. Nam ex Coniuge ſua genuit duos filios Albertum & Theodoricum, & duas filias Adelam & Sophiam. Sophia nupsit Duci Bohemiæ Ulrico; mortuo Ulrico Burggrauio de Reinsperg: Adelam duxit Odoracuſ, (Odocharus) qui poſtea fuit Dux Bohemiæ, qui & genuit ex ea filium Bredislaum & filias tres, quarum vna nupsit Regi Daciæ; alia Heinrico Comiti de Ortinberg; tertia canoniſata eſt in Gerinrode; & vocatur Gerinrode, a Gerone olim Marchione fundatore, vbi habetur brachium Sancti Cyriaci Matriſ, quod Papa ſibi donauerat. Adela poſtea cum Odo-

docaro diuocciata est, propter notam consanguinitatis, & de ista causa loquitur decretalis canone de testibus. Orta est de post anno Domini M C LXXXII. grandis discordia inter Ludovicum Landgrauium Thuringiae & Ottinem Marchionem Misnensem, ita quod praefatus Ludovicus Ottinem Marchionem captiuauit, sed quia hoc non mediante iusto Belllo, ideo ex præcepto Friderici Imperatoris relaxatus est. Tandem Seminator discordarum Diabolus bellum intestinum inter ipsum Ottinem Marchionem & Albertum filium suum seminauit, ita quod filius præcepti Decalogi immemor, manum suam violenter in Parentem extendit, ipsumque captiuauit & in castro Devvin custodiæ mancipauit, anno millesimo centesimo octogesimo octauo. Causam autem huius captiuationis in Cronica Sereni Montis sic reperi: Cum Otto Marchio esset Pater duorum Filiorum Alberti & Theodorici, Albertum, quod maior natu erat, post se Marchionem Misnensem ordinauerat; Theodorico fratri iuniori sufficientibus aliis castris, & terris, præsertim castro Wissinfels assignatis. Mater vero Hedvigis, plus iuniorem diligens, marito persuadere conata est, ut feuda quæ meliora habebat ipsi assignaret; ad postremum etiam, ut testamento mutato, ordinacionem de seniore factam, in iuniorem transferret. Ad quod cum Marchio inclinatus, hoc facere intenderet; Senior filius, hoc comperto,

104 DE ORIG. PRINC. MARCH.

to, consilio vt fertur, Bernhardi Saxonie Ducis auunculi sui, & aliorum quorundam amicorum fideliumpque suorum, patrem in castro suo Devvin detinuit, Testamenti sui prioris ab eo exigens confirmationem, deputatis ei custodibus, quorum vnis fuit Conradus Comes filius Dedonis de Rochlitz, fratri Ottonis. Vnde præsumptum est, ipsum Dedonem fratrem suum captiuationis eius conscientiu[m] fuisse. Imperator itaque rem gestam audiens, grauiter acccepit, certumque erat, quod morte Alberti factum vindicaturus fuisset, nisi eum peregrinationis suæ promouendæ intentio prohibuisset; missa tamen legatione ei sub obtentia gratiae suæ præcepit, vt Patrem a captiuitate relaxaret, monens cetera patrem, vt dissimulato dolore, in gratiam filium suum reuocaret. Filio suo Heinrico dictus Imperator commisit sollicite, ne facti detestandi negligeret vltionem: sique Marchio solutus est thesauris suis, quos plurimos habebat a filio, ex parte iam maxima deuastatis. Pater vero nephas filii grauissime ferens, se omnino vindicare dispositus; ortum est itaque intestinum bellum grauissimum inter patrem & filium, ita quod nunquam ex post patre hanc iniuriam filio ex toto remiserit; sed usque ad finem vitæ suæ durauit, licet Imperator eosdem concordarat. Et sic fertur mortuus fuisse ex post anno sequenti puta M C LXXXIX. 12. Kal. Martii. Primus quoque fratrum suorum contra fidem Patri datam, vi-

deli-

delicet ut in Ecclesia Serenii Montis omnes ei
consepelirentur, in Ecclesia ordinis Cisterciensis,
cuius fundator extiterat, quæ Cella vetus di-
citur, est sepultus. Sed ne calumpniandi de-
fide patri præstita, aliqui materiam habeant,
dico, quod voti fractio non est, qui illud in me-
lius mutat. Sed præfatus inclitus Princeps
Marchio locum magis religiosum & solemni-
us paterno Monasterio, a semet ipso fundatum,
elegit; Ideo promissum non violauit, sed po-
tius in melius commutando adimpleuit.

§. XX. Albertus Marchio filius Ottonis,
audito quod pater suus partem pecuniaæ in Cel-
la repositam, moriens dimisisset, ad locum ve-
nit pecuniamque ipsam a Monachis exegit. E-
rant autem marçæ argenti quasi tria milia, de
iustis omnino prouentibus, & quæ nihil ini-
quitatis mammonæ admixtum habebant: esti-
mo quod de Freiberg allatae fuerant, quas Mar-
chio pro remedio animæ suæ, ecclesiis Dei de-
putauerat distribuendas. Monachi vero re-
spondetunt, se depositum illud ad id quod
prædictum est conseruandum in fide suscepisse,
nece posse id tradere ad aliud quodlibet inde
faciendum: quin potius cum ipso ad eius a-
sylum velle configere, cuius erat pecunia cu-
stodiæ deputata (Obtulerat etenim Otto ipse
in primis pecuniam ipsam Deo & Virgini glo-
riosæ, super aram, in perpetuæ donationis in-
dicium) hoc dicto pecuniam totam, in Altari
Dei genitricis reponentes, euæntum rei sollici-
oñix

106 DE ORIG. PRINC. MARCH.

te expectabant. Marchio vero neglecta tan-
ti custodis reuerentia, ablatis omnibus disces-
sit. Nec mirum dicit Cronica Sereni Montis,
simortuo patri violentus extiterit, quem vi-
uum non timuit captiuare. Nec impune sibi
tanta temeritas cessit; quippe qui paulo post,
sicut dicitur, miserabiliter vna cum vxore, ac
sine liberis periit. Nec etiam fratri pepercit,
sed in bonis partis illius violentus existens, pau-
latimque illum a castris quæ ipsorum erant
communia excludens, ipsum exhæredare modis
omnibus conabatur.

§. XXI. Mortuo itaque Ottone Mar-
chione, Albertus filius eius Marchiam Misnen-
sem obtinuit; fratremque suum Theodericum
Comitem de Wissinfels persequi cepit, cum a-
nimo suis bonis omnibus priuare si potuisset,
voluit. Theodericus itaque tali violentia fra-
tris sui triennio quasi & amplius pressus, pro
auxilio petendo ad Hermannum Thuringiae
Landgrauium se contulit; quem ille aliquam-
diu suspendit dicens, se ut Marchioni Alberto
bellum inferret occasionem idoneam non ha-
bere; Habebat autem filiam iam nubilem.
Comite vero petitionem sepius iterante, Lant-
grauius de consilio suorum respondit: si ge-
nere eius fieri velleret, se ei modis omnibus suc-
cursurum, quod ille quidem primo (quia pu-
ella oculis eius propter sui deformitatem di-
splicebat) renuit, sed tandem necessitate coa-
ctus, consensit; coniugioque facto ex hinc au-
xilio

MISN. ET LAND. THVRING 107

xilio Landgrauii, fratri cepit superior appare-
re. Demum cum Marchio Albertus contra
fratrem & castrum Wissinfels in loco vicino,
qui Sybotinberg dicitur, nouum castrum con-
strueret, Comes Theodericus superueniens,
ipsum fugauit, pluresque ex militibus suis capti-
uauit. Cum itaque iam manifeste Landgra-
uius Hermannus, Marchionem Albertum ap-
peteret inimiciis, Marchio in loco qui Re-
nennige dicitur, militibus collectis, sese ho-
stem Thuringiae ostendere modis omnibus in-
tendebat. Cuius conatum Lantrauius anti-
cipans, castra eius cum suis improvisus irrupit,
turbatisque omnibus, qui circa ipsum erant, e-
os ad fugam coegit, non paucis eorum (licet
aliquamdiu viriliter restiterint) captiuatis.
Marchio vero vix cum tribus vel quatuor so-
ciis fugiens, ad Montem Serenum Sancti Petri
peruenit; quorum equi horrendis vulneribus
debilitati, signa certaminis ostendebant. Wal-
therus tunc præpositus ibidem, alios equos eis
procurans, ipsum Marchionem cappa claustra-
li, pro dissimilitudine personæ indutum, ali-
quanto viæ spacio, Lipzick tendentem, prose-
quutus est. Verum licet Marchio Albertus,
his aduersis nihil a sua magnanimitate altera-
tus, reparandi bellum firmum haberet propo-
situm; non parum tamen Imperatoris, de qua
erga se certus erat, dehortabatur indignacio;
cuius ministeriales speciali bello eum appetere
disponebant. Necessarium ergo credens (si
id

108 DE ORIG. PRINC. MARCH.

id efficere posset) Imperatoris primo gratiam impetrare, ad partes transalpinas Italiae, vbi tunc Imperator constitutus erat, profectus est: frater vero eius Theodoricus ad terram sanctam peregrinatus est. Sed cum Marchio Albertus ad Imperatorem venisset, non solum recuperandæ gratiæ omnimodam habuit resistentiam & difficultatem; verum etiam vitæ suæ periculum impendere cognouit. Quare suis omnibus apud Imperatorem relictis, uno tantum comite sumpto, fuga quidem propter insidias Imperatoris difficulterius, ad propria reuersus est. Recogitans itaque in animo suo, quomodo nulla est nisi ardua virtus; ipsi etiam Imperatori, se si necesse esset, repugnare dispositus: munitiones & castra sua destrui omnino non pertimuit; quin imo Lipsig, Kamberg, Misnam & alia suæ ditionis oppida & castra, studuit armis & vietualibus contra Imperatorem præmunire. Certumque fuisse, patriæ orientali Misnenſi & Pleyschenſi cladem per maximam procuratam fuisse, si non eum vitæ terminus præuenisset. Eodem itaque anno M C XCV. Albertus Marchio, veneno ut fertur, a quodam familiarium suorum Huguldo nomine, sumpto egritudinem incurrit. De Fribetga vero vbi egrotare cepit Misnam festinans, cum nec equo nec curru, propter morbi vehementiam vehi posset, a viris in gestatorio ad hoc ipsum composito, portabatur. Vnde emenso unius miliaris spacio, in-

gra-

MISN. ET LAND. THVRING. 109

grauescente molestia, etiam portari non suffe-
rens, in villa quadam Heinrichsdorff depositus
ibique defunctus est VIII. Kal. Iulii. Sepul-
tusque est in Cella iuxta patrem suum. Vxor
vero eius filia Ducas Bohemiæ, fratris Odocari,
ex post, infra triginta dies eodem veneno ex-
tingita fuit. Hie Albertus nullum reliquit filium
sed filiam habuit, quam accepit Hermannus de
Ladeberg in vxorem. Sicque Alberti, diuino ju-
dicio puniti, & pignore heredis juste destituti,
iuxta sententiam veritatis : honora patrem
tuum & matrem ut sis longæhus, saltē in
generatione sua super terram, merito posteritas
cessauit.

De collateralibus Ottonis Marchionis.

§. XXI. Visum est de factis & gestis
Ottonis Marchionis filii Conradi, qui est Pro-
thonostipes Principum nostrorum Friderici &
Wilhelmi fratrum, & Friderici eorum patrui,
Marchionum Misniensium & Thuringiæ Lan-
grauiorum. Nunc de eius fratribus tanquam
collateralibus est videndum, & primum de
Theodorico Marchione Lusatiae & Yleborg.
Hic Theodoricus frater Ottonis accepit ux-
orem sororem Mesconis Ducas Poloniæ Dober-
genam nomine, quæ & Luckardis vocabatur.
Hic Theodoricus primo ædificauit castrum
Landisberg & fundauit etiam Schildono; fun-
dauit etiam monasterium Cistercii ordinis so-
lemptne & diues in Dobrilug, imitatus in hoc
fratrem suum, qui Veterem Cellam prius fun-

H

dau-



110 DE ORIG. PRINC. MARCH.

dauerat. Hic Marchio vir prudentis & strenuus, potens & diues patochiam in Yleborg cum capella castri, Monasterio Sancti Petri donauit. Item capellam in castro Landisberg vna cum castro ædificari fecit. In curia Imperatoris Friderici de principalioribus consiliariis fuit. Nam vna die cum Imperator Fridericus cum Alexandro Papa fuisset concordatus Venetiis ante Ecclesiam Sancti Marci, Imperatorque in præsentia multorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Principum & aliorum infinita multitudine, ad osculum pacis per Papam accipi debuisset; diesque iste reconciliationis solemniter celebraretur ibidem a Clero & populo. Huius concordiae ac reformationis pacis auctor & cooperato fuit Wigmannus Archiepiscopus Magdeburgensis, filius Sororis Conradi, patris Theodorici Marchionis & in primis ipse Theodoricus, qui industria sua animositatē Imperatoris ad tantam mansuetudinem deduxerat, ut in condemnationem erroris sui coram summi Pontificis pedibus prosterneretur. Fertur autem quod cum in subleuando eum Papa moram faceret Theodoricus orientalis Marchio, qui aderat cum Imperatore, quasi cum indignatione, querela & redargucione exclamauerit: Cur Imperiale dignitatem tantæ iniuræ subiecerit? Papa idioma Teutonicum non intelligens, inquit suerit, quid dic eret Almannus? quod cum didicisset, festinus accedens Imperatorem subleuauerit

MISN. ET LAND. THVRING. III

Ieuauerit & ad osculum suum erexerit , facta sunt hæc Anno Domini M C LXXXVII. in Vigilia Beati Iacobi Apostoli. Genuit præterea Theodoricus filium Conradum nomine , & filiam nomine Gertrudem, quam in Grebstede monacham fecit. Præterea filius eius Conradus Anno Domini M C LXXVI. ad torneamentum in Austria equitauit, ubi ictu lanceæ perfos-sus interiit XV. Kal. Decembris. Tantum enim idem pestifer ludus in partibus nostris tunc inoleuerat , ut infra vnum annum sedē-dim milites referantur periisse. Pro quare Wigmannus Archiepiscopus Magdeburgensis eum Suffraganeis suis omnes eius receptatores excommunicationis vinculo innodauit. Com-perta autem prefati comitis morte, tunc in Au-striæ partibus constituti, missis nuntiis eum a sepultura ecclesiastica fecit prohiberi. Tem-pore quoque præcedente cum Archiepiscopus idem , conuocatis suffraganeis suis, cum ma-gna cleri frequentia, in ecclesia Hallensi, con-uentum haberet, pater occisi, scilicet Theodo-ricus Marchio & fratres eius, Otto Misnensis, Dedo Comes de Rochliz, Heinricus Comes de Wittin, Fridericus Comes de Brene cum mul-tis nobilibus viris & ministerialibus aduenien-tes, pedibus Archiepiscopi actotius Cleri cum lachrymis prouoluuntur, postulantes, ut occiso communionem concederent fidelium sepultu-ram; afferentes constanter, eum ante finem su-um, penitentem & absolutum, communio-nem

H 2

nem



312 DE ORIG. PRINC. MARCH.

nem Dominici corporis meruisse. Cum enim Comes idem moriturus, vulnera debilitatus iaceret, contigit sacerdotem quendam religiosum transire, qui penitibus amicis eius ad vulneratum accedens, magna ab ipso instantia regatus est, ut penitentiam eius & confessionem susciperet, & a vinculo excommunicationis eum absolveret, fideliter promittens, si divina misericordia vitae spaciū sibi largiatur, nunquam de cetero, se tali causa excommunicationis sententiam meritatum, quin possit & de hoc & de aliis suis peccatis Deum sibi modis omnibus placaturum, super hoc autem ad militandum Deo cruce signari deuotissimis, ut eius contrito manifestius appareret. Sacerdos vero ille cordis in eo contriti signa percipiens, confessione eius audita & penitentia iniuncta ab excommunicationis nodo eum exsolvit, sicque reconciliatum, Dominici corporis participem faciens, sicut petierat, cruce signauit, quibus peractis modico post tempore expirauit. Cum itaque principes predicti coram Archiepiscopo eorum cognato (quia filius sororis patris ipsorum fuit) & Clero haec assererent; sacerdos horum omnium executor, cum presens esset, iuramento hoc confirmare, ut nulla remaneret dubietas, rogabatur; quod ille malacriter adimpleuit. Ipsi præterea Principes predicti exigente hoc ab eis Archiepiscopo iurauerunt a torneamento perpetuo abstineret, nec usquam in omni di-

tione sua huiusmodi exercitium permettere, hominesque suos & ministeriales ab eo modis omnibus cohercere. Sicque demum ArchiEpiscopus mortuo sepulturam concessit, saluatamen sedis Apostolicæ autoritate. Vnde factum est, ut tamdiu sepultura careret, donec unus militum familiaris eius, Wernherus nomine, consensum de hoc summi Pontificis reportaret. Qui etiam transmatinam peregrinationem pro ipso postmodum peragens, fidelis se ei manifestis indicis declarabat. Sepultusque fuit in Sereno Monte XV. Kal. Februarii, ante introitum Ecclesiae maioris, ad occidentalem partem Ecclesiae; iuxta quem etiam postea praedictus Wernherus miles suus requieuit. Obtulit præterea Theodoricus Marchio pro anima filii sui decem mansos in villa quæ Marggrauendorff dicitur. Theodoricus itaque hoc dulci pignore sic priuatus dudum post separatus fuit cum uxore sua Dobergena, quin imo illa adhuc viuente aliam quasi superinduxisse fertur Conegundam nomine, relictam Bernhardi Comitis de Plosicke, ex qua genuit Theodoricum Merseburgensem Episcopum. Anno igitur M C LXXXIV. in festo Pentecostes Imperator Fridericus filium suum Heinricum Regem fecit. Vbi multis Principibus conuocatis, affuit inter eos & Theodoricus Marchio filius Conradi, qui item Magontiacæ egritudinem incurrebat, quia longo tempore detentus est. In vigilia vero

114 DE ORIG. PRINC. MARCH.^M

beati Thomæ ex post in Montem Serenum de
castro suo vicino Landisberg vel de Yleborg
adductus in infirmitorio claustrum decumbens
ingrauescente molestia, quarto ydus Februarii
defunctus est ibidemque sepultus in dextram
Friderici fratris sui Comitis de Brene post pa-
trem eorum ad Occidentem. Sepelierunt
autem eum fratres sui Otto Misnensis Marchio
& Dedo Comes de Rochlitz. dedit præterea
idem Theodoricus in extremis, Ecclesiae Sere-
ni Montis Vineam in Podegruz quæ Marchio-
nis vocatur. Dedit etiam beato Petro dorsale
magnum & duas marcas cum dimidia puri au-
ri ad opus vnius calicis, qui postmodum obli-
gatus inter Iudeos, furatus fuit in Hallis. De-
derunt præterea pro testamento hæredes sui
Otto & Dedo fratres LX. Marcas argenti pro
trium talentiorum reddituum comparatione
pro anniversario ipsius. Otto Marchio suas
XXX. Marcas statim persoluit. Sed Dedo
suis XXX. Marcas relaxavit de pretio villa Kok-
kere, quam villam ab ecclesia Pegauensi re-
demerat. Mortuo Theodorico sine filio le-
gitimo, tota eius hereditas, videlicet Marchia
Lusatia, Yleborg, Landisberg &c. ad Otto-
nem Marchionem Misnensem & Dedonem
fratrem eius translata est. Marchiam autem
Lusatia Imperator Fridericus aliquandiu tenu-
it, sed Dedo Comes pro quatuor millibus Mar-
carum ipsam ab Imperatore redemit.

De

De Dedone Comite de Rochelitz.

¶. XXII. Dedo Comes de Rochlitz pro-
anus Sanctæ Elisabeth & annus Sanctæ Hedvigi-
gis, frater Ottonis Misnensis Marchionis, fili-
us tertius Conradi Marchionis, accepit vxo-
rem Mechtildem filiam Gosvini de Huni-
berg foro rem Philippi Archiepiscopi Cöloni-
ensis, ex qua genuit Theodericum maioris Ec-
clesiae Magdeburgensis Præpositum, Philippum
Sanctensem Præpositum, Gosvinum & Her-
mannum, qui in iuuentute mortui sunt, &
Conradum Marchionem, qui sibi successit in
Lusacia. Genuit præterea filiam Agnetem,
quæ nupsit Bertoldo Duci de Merania, qui ge-
nuit ex ea filios, Ottonem Ducem de Merania
& Marchionem de Ostirreich qui etiam Dan-
dasse dicebatur, & Eckehardum Babmbergens-
em Episcopum & Bertholdum Patriarcham
Aquileiem. Item genuit tres filias qua-
rum una nupsit Regi Franciæ Philippo, alia Re-
gi Vngariæ, quæ fuit mater Sanctæ Elisabeth,
Tertia Duci Slesiæ Heinrico, quæ fuit & est
sancta Hedvigis. Hic siquidem Dedo, pa-
trem suum Conradum imitatus, monasterium
solempne Canonicorum regularium fundauit in
Schilla, quod hodie possident fratres ordinis
militarium de Domo Theuronica. Dedicat-
um fuit hoc Monasterium Anno Domini
MCCLXXXIII. accepit autem primos canoni-

116 DE ORIG. PRINC. MARCH.

cos & fratres de Sereno Monte & primus præpositus Theodericus dicebatur. Quomodo autem istud monasterium deuenerit ad Cruciferos, plena de hoc habetur historia longa apud sanctum Thomam in Lipsi, quam ibidem perlegi. Et ut aliquid sciatut. Fratres quidam nobiles genere & sanguine, sed ignobiles moribus, præpositum eorum uno pede cum gladio mutilarunt, ac ita inordinate vixerunt quod eisdem per Aduocatos Marchionum Missnensium repulsi & exclusi, ipsis Cruciferis magna dona donantibus, locum tradiderint; sicque ipsi Cruciferi taliter qualiter locum obtinuerunt. Et ut in superioribus dictum fuit, quod Dedo frater patris sui Conradi Marchionis habuit vxorem Bertham, filiam Wigberti Comitis de Groetz ex qua non habuit filium. Hic itaque Dedo, hunc Dedonem de Rochlitz adoptauit in filium & pro tanto, mortuo Heinrico filio Wigberti de Groetz & Marchione Lufaciae Groetzig castrum cum suis pertinentiis dedit Dedoni de Rochlitz & sic primo venit ad genealogiam Marchionum Missnensium castrum prædictum & aduocatio Pegauiensis. Theodoricus autem filius Dedonis, duxit uxorem Mechtildem filiam Ludouici Comitis de Thuringia, gennitque ex ea filium Agnem mortuusque fuit Anno M CCVII. sine filiis, & sic ad fratrem suum Conradum tota sua hereditas devenit. Hic Theodoricus Marchio primus fuit Comes Palatinus, & hereditaria

MISN. ET LAND. THVRING. 117

iure fertur ab Imperatore ad hoc priuilegiatus
vt in fundatione Gozzaccensis Monasterii scri-
bitur. Et ex post Marchiones Misnenses semi-
per ascripserunt sibi istum titulum, vt puta Mar-
chiones Misnenses & Comites Palatini. Vel
a castro Grotzig vel Sumerschinborg, sed v-
trumque hodie est destructum. Conradus
vero Marchio Lusaciae filius Dedonis de Roch-
litz frater Theodorici, accepit vxorem Elisab-
eth filiam Misconis Ducis Ladislai Poloniae,
viduam Zibislai Ducis Bohemiae, genuitque
ex ea filium, qui puer obiit: filias duas Mech-
tildem, quam duxit Albertus Marchio Brande-
burgensis & Agnetem quam duxit Heinricus
Comes Palatinus Reni frater Ottonis Impera-
toris quarti. Hic Conradus orientalis Mar-
chio a socero suo Ladislao multa grauamina
patiebatur, idcirco castrum & oppidum Lu-
bus socii sui cum exercitu obsedit. Ladisla-
us vero obsidionem soluere volens collecto ex-
ercitu copioso, mandauit se crastino die cum
eo congressurum. Vespere autem diei præ-
cedentis Oderam fluum cum omnibus est
transgressus quo hostibus superueniret impro-
uisis. Unus vero eorum qui Supani dicun-
tur, vehementer ei cepit obsertere, monens ne
tempus pugnae statutum præueniret, quia hoc
factum, nullius quam infidelitatis nomine pos-
set rectius appellari. Quem cum timiditatis
causa talia fari Dux argueret, & fidelitatis iura-
mento, quo ei teneretur, commoneret, re-

H 5 spondit:

118 DE ORIG. PRINC. MARCH. M

spondit. Ego quidem ad pugnam pergo, sed
scio me patriam meam de cetero non visurum.
Habebant autem ducem belli Phitonissam
quandam, quae de flumine cribro haustam
aquam nec defluentem perferens, exercitum
præcedebat & hoc signo eis victoriam promi-
tebat. Nec latuit Marchionem adventus eo-
rum, sed mature suis armatis & ordinatis occur-
rebat fortique congressu omnes in fugam ver-
tit. Phitonissa primitus interfacta, ille etiam
Supanus viriliter pugnans cum multis aliis in-
terfectus est, & nisi hora tardior fugientibus
præsidium contulisset cruentam victoriam fieri
contigisset. Multi tamen ex eis cum fugerent
submersi sunt in paludibus. Marchio post vi-
ctoriam reuersus, castrum cepit, tutoribus eius
suspendio enecatis. Facta sunt hæc Anno
MCCX. Conradus hic Marchio Lusatiae, Comes
de Rochlitz, de Groetz, de Yleborg & Landisberg,
mortuus fuit sine heredibus masculis Anno Do-
mini MCCX, cuius Marchiam Lusatiae, Theo-
ricus Marchio Misnensis filius Ottonis Mar-
chionis, fundatoris Celleensis Cenobii redemit
ab Imperatore Henrico VI. pro xvi. millibus
marcarum argenti. Decem persoluit, quin-
que fertur sibi remisisse. Et sic tertio Marchia
Lusatiae ad Principes Misnenenses permenit. Pri-
mo ad Conradum Sereni Montis fundatorem
ex dono Lotharii Imperatoris: Secundo ad
Dedonem Comitem de Rochlitz a Friderico
Imperatore pro quatuor millibus Marcarum;

libnoq

H

&

MISN. ET LAND. THVRING. 119

& sic nunc tertio ad Theodericum Marchionem
vt iam dictum est. Mortuus autem fuit Dedo.
Pater eorum Anno Domini M^{DC}X. & in Mona-
sterio Schillen honorifice sepultus & non cum
patre suo, vt promiserat. Euenit autem mors
ipsius isto modo: Heinricus Rex Romano-
rum, ducendæ vxoris causa ad partes Appuliæ
profecturus, Dedonem hunc secum proficisci
voluit, qui itineris istius asperitatem & aeris
qualitatem corpori suo, quia valde pinguis &
crassus erat contrariam sentiens, pro tollenda
arcula, med. co adhibito ventris incisione mor-
tuius est xvii. Kal. Septembris, anno quo supra.
Priuilegia autem huius Dedonis super fundatio-
ne Schillensis Monasterii habentur in Alden-
burg in Monte apud Regulares, continet Scri-
ptura mortuariorum Sereni Montis quod pro
anniuersario eius oblatus sit vnu mansus &
vnu pro vxore eius Mechtildi, cuius anniuer-
sarius est xiii. Kal. Februarii. Veritas huius facti
hac ratione constat. Theodoricus Marchio
Orientalis Lusaciæ frater Dedonis, quandam
possessionem Grutz nomine super Mildam pro-
pe Yleburg Conegundi Comitissæ, quam super-
induxerat, vt supra dictum fuit, & Theodori-
co filio eius Merseburgensi Episcopo, dedit,
quam diu viuerent possidendum. Eo vero mor-
tuo, cum inter Ottonem Misnensem & Dedo-
nem, Orientalis Marchiæ & proprietatum eius
diuiso fieret; ius præfatæ possessionis in par-
tem Dedonis cessit, & post eum ad filios ipsius;

zlliv

Con-

120 DE ORIG. PRINC. MARCH.

Conradum scilicet Orientalem Marchionem Lusatiae & Theodoricum Comitem Palatinum de Sumirschenborg transiuit. Tempore vero procedente Waltherus præpositus Sereni Montis possessionem memoratam a Theodorico Merseburgensi Episcopo emit: Ius autem proprietatis a Marchione & Comite pro LX. marcis comparauit. xxx. marcis singulis ipsorum deputatis; quorum tamen vterque decein marcas suæ partis remisit. Ut duo mansi possessio- nis eiusdem pro patre & matre ipsorum ascri- berentur, quia singuli mansorum illorum de- cem marcis constabant. Conradus reliquas viginti marcas ex post propter Deum remisit, quod Theodoricus non fecit.

De Heinrico Comite Seniore de Wittin fratre Ottonis & aliorum.

§. XXIII. Heinricus Comes senior de Wit- tin, filius Conradi Marchionis, quartus frater Ottonis Marchionis Misnensis, duxit uxorem Sophiam filiam cuiusdam nobilis viri de Au- stria, genuitque ex ea Heinricum comitem, qui in iuuentute mortuus fuerat. Item genuit secun- dum filium Conradum, qui puer obiit, Anno Domini MCLXXXVII. quarto Idus Ianuarii, in castro Gebichenstein, sepultus in sinistra patris sui in Seleno Monte. Pro eo oblata fuit villa Ternitz, iuxta villam Numick, cum octo man- sis; quod postea Otto Comes de Brenc pro villa

MISN. ET LAND. THVRING.

121

villa Chlewitz, pro ipsa equivalentib. communi-
cavit. Habuit præterea tertium filium Oli-
ricum & filiam Sophiam, quæ nupsit Burckardo
Magdeburgensi Burggraui. Olricus filius
eius comes de Wittin duxit filiam Bernhardi
Ducis Saxoniae Hedwigin nomine, ex qua ge-
nuit filium nomine Heinricum, quem reliquit
hæredem. Ipse vero Heinricus comes Senior
de Wittin mortuus fuit anno Domini MCLXXXI.
tertio Kal. Septembris, sepultusque in Sereno
Monte apud patrem suum ad sinistram eius; cu-
jus viduam Sophiam duxit Hermannus tunc
comes Palatinus Saxonie postea etiam Comes
provincialis Thuringia, genitusque ex ea Zut-
tam, vxorem Theodorici Marchionis Misnen-
sis, de quo supra dictum fuit in descriptione Ot-
tonis, & plenius infradicetur in descriptione
filii sui Theodorici. Olricus Comes mortuus
fuit in castro suo Wittin Anno MCCVI. infir-
mitate quæ dissyntheria vocatur quarto Kal.
Octobris, relinquens Heinricum filium suum
Heredem, sepultus fuit in Monte Sereno, in Si-
nistra Friderici Comitis de Brene patrui sui, ob-
latique sunt pro eo sex maasi in villa Lechenitz.

De Friderico Comite de Brene.

§. XXIV. Fridericus quartus filius Con-
radi Comes de Brene, duxit vxorem Hedwigem
filiam Dypoldi cuiusdam nobilis de Bohemia,
qui fuit patruus Odokari Ducis Bohemiae ge-
nuit.

122 DE ORIG. PRINC. MARCH.

nuitque ex ea Ottone & Fridericum fratrem eius, & filiam Sophiam Quedilburgensem Abbatissam. Mortuus est siquidem Fridericus senior de Brene Anno MCLXXXI, pridie nonas Ianuarii, sepultusque in Sereno Monte, apud patrem suum Conradum Marchionem, versus occidentem. Post mortem vero eius, vidua illius Hedwigis, claustrum monialium in Brene, una cum filii suis fundauit, vbi & sancta conuersatione vitam finiuit. Templum illius claustri dedicatum fuit Anno Domini MCC. Præterea Otto filius Friderici mortuus fuit in iuuentute anno Domini MCCII. & in Brene, sua fundatione, sepultus. Fridericus vero frater suus duxit uxorem Iuttam filiam Friderici comitis de Zeginhain, fratris Hermanni comitis Thurингiae, ex qua genuit filiam Hedwigem, & filios Ottone & Theodoricum. Hæc Iutta obiit Anno Domini MCCXX. Fridericus de Brene iunior Anno Domini MCCXI. mortuus fuit in transmarinis partibus in ciuitate Accon, reliquit autem duos filios Ottone & Theodoricum & duas filias. Hæc de Genealogia filiorum Conradi Marchionis pro præsenti sufficiant. Ad rem lineam descendantium Ottonis Marchionis Misnensis redeundum est.

Deci-

Decimus Stipes, Theodoricus fundator
Monasterii Sancti Thomae in
Lipzick.

§. XXV. Theodoricus filius Ottonis Marchionis Misnensis Comes in Wissinfels Anno MCXCVI. in transmarinis partibus constitutus, morte fratris sui cognita, cum redire disponebat, Imperatoris insidiis adeo artatus fuit, ut publice nauem ingredi non auderet; sed a fidelibus suis lagena inclusus & nauigio illatus, sicque dum in altum procederet, occultatus est. Imperator enim Marchiam Misensem suis vobis reseruare volens, praesertim propter fodinam argentilin Freiberg tunc valde bonam, fidelibus suis eam commisit procurandam; quæ etiam usque ad mortem Henrici VI. Imperatoris, per eosdem procurata fuit. Mortuo autem Imperatore Henrico VI. apud Panormium veneno, & Spira sepulto, verius translato Anno MCXCVII. Theodorico reuerso in patriam, iuuamine & adiutorio socii sui Hermanni Thuringiæ Landgrauii, & praesertim populi & militarium beniuolentia (qui magno gauis sunt gaudio Dominum & Principem filium Marchionis redisse) Marchiam Misensem cum omni patrimonio acquisiuit, & eam pacifice ac quiete per decem & octo annos tenuit, usque ad annum MCCXV. tunc inceperunt sibi caenire diversa grauamina. Nam Albertus

Arch-



124 DE ORIG. PRINC. MARCH.

Archi - Episcopus Magdeburgensis , pro inuasione (ut fertur) terrarum Ecclesiae , ipsum excommunicando , Misnensem & Merseburgensem dioceses supposuit interdicto . Aliam causam excommunicationis & interdicti in Cronica Sereni Montis , sic reperi : Heinrico Wigberti fundatoris Pegauiensis cœnobii filio mortuo sine heredibus ; Grotz castrum ad Theodoricum Comitem de Sumirscheberg & Conradum Marchionem Lusatiaæ deuenit , vt supra est significatum . Iste Theodoricus Comes de Grotz , Aduocatiam Pegauensem , beneficio Philippi Imperatoris sibi usurpauit , cum Monasterium ab Imperatoribus fuerit priuilegiatum , quod Abbas & conuentus eligere possint Advocatum quem velint . Sicque dictus Comes Theodoricus multa grauamina intulit , ciues Pegauenses violenter sibi seruire compellens . Nec ab Abbatis iniuriis personalibus se temperabat . Nam Abbas Sifridus etiam expulsus per eum fuit per integrum annum , quem Burghardus Dux in castro suo Werbin recepit . Tandem inter Theodoricum Comitem de Grotz Palatinum & Theodoricum Marchionem Misnensem , discordia exorta est , cuius gratiam & amicitiam Abbas Sifridus habuit , ideo eius favore animatus Pegauium reuersus est , militibusque in ciuitate locatis , violentiæ comitis paulatim cepit resistere , donec pertinaciter reluctando , eum contra se reddit segniorem , quamquam eo viuente nunquam quieta gauis

Sus est libertate. Mortuo Comite Theodoricō de Groetz Palatino, Conradus Marchio orientalis Lusatiae, frater eius, Aduocatiam Pegauensem, quam cum eo a Rege Philippo sibi concessam receperat, inuasit; sed tamen a personaribus iniuriis Abbatis abstinuit, quia filium eius in baptismo susceperebat; quod ipsum tamen multis marcis si esset possibile, se velle redimere, viuente adhuc fratre, saepius dixisse fertur. Mouebatur enim propter fratrem carnaliter, quia ille in obtinendo proposito infirmior Abbatē videretur, maxime autem pro quadam verbo quod Abbas minus caute protulerat, Comitem scilicet apostatam nuncupando. Idem namque Comes Ecclesiae Magdeburgensis Canonicus existens, etiam ad Subdiaconatus gradum promotus erat. Accidit autem, cum in Scolis esset Parisius (quia Rex Franciæ habuit filiam Sororis suæ) ut contentione inter Clericos & Burgenses exorta, seruientes sibi, ad auxilium clericorum ab eo missi, homicidium committerent, pro qua re de sua promotione desperans, clericatum dicitur reiecisse. Post mortem Conradi Marchionis, qui triennio fratri tantum superuixit, Theodoricus Marchio, de quo nunc est sermo, anhelabat modis omnibus, ut ipse Ecclesiae Pegauiensis Aduocatus eligeretur. Quod cum Abba Syfridus sibi non conuenire sciens, facere negligeret, ille ex fauatore & amico in hostem mutatus valde cum verecide xare

xare cepit, multa ei dampna & iniurias irrogando: ad extremum vero ante castrum Grötz, quod ei hereditario iure obuenierat, imo verius ex redemtione ab Imperatore: (quia Marchiam Lusatiae, Landisperg vna cum castro Ylenborg, Rochlitz, Grötzick pro xv. millibus marcarum argenti, redemit, ut supra habitum est) villam Grötz muniers, forum instituit & thelonium & monetam, omnibusque comprouincialibus ab illa parte, tam emere, quam vendere volentibus, ne Pegauiam pergerent interdixit. Abbas vero iudicibus contra eum a Sede Apostolica impetratis, Episcopo Decano & Scolastico Herbipolensi, omnem eius conatum euacuavit. Iudices enim testibus eius auditis, sententiam pro ipso protulerunt, eique Brandenburgensem Episcopum eiusdem sententiae executorem dederunt. Qui Grötz adueniens, conuocatis castrensis & villanis, forum & thelonium & monetam in loco illo haberi, auctoritate Apostolica interdixit, omnesque qui in ipsa villa ad ius forense residentiam fherent, eadem auctoritate excommunicationis vinculo innodauit & loca interdixit. Vnde cum adhuc Abbas Marchionem de dampnis ab eo & aliis, scilicet Theoderico Comite & Conrado Marchione, qui hereditatem acceperant, sibi illatis impeteret; quæ usque ad septem milia & quingenta marcarum computauerat; Marchioque Theodericus iudici-

MISN. ET LAND. THVRING. 127

dicium subterfugeret, propter contumaciam,
Albertus Archi- Episcopus Magdeburgensis,
totam terram Marchionis ecclesiastico suppo-
suit interdicto, ut supra dictum fuit. Sed tan-
dem compositione interueniente causa fuit so-
pita, ita quod Marchio & Abbas se iuicem in
pacis osculo receperunt. Idem Marchio Theo-
dericus habuit vxorem Iuttam filiam Hermanni
Thuringiae Landgrauii, ut supra dictum est;
genuitque ex ea primo duos filios, Ottонem &
Conradum, & filiam Hedwigim, qui in iuuen-
tute mortui fuerunt. Et post biennio ante fi-
nem vitæ suæ genuit Henricum Illustrissimum
Principem, de quo plene in sequentibus dice-
tur. Huic Theodorico & ex post plura super-
venere grauamina. Nam militares quidam,
cum Lipsiensibus conspirantes, ipsum interfici-
cere disponebant. Anno Domini MCCXV,
certos armatos adhoc deputauerunt, qui ad Y-
senberg venientes in vigilia sancti Nicolai ac
intempesta noctis silentio ad ianuam hospitii
pulsantes dicebant, se habere necessario Mar-
chioni loqui; quædam autem domicella hæc
audiens, iuit ad lectum ipsius, requirens si de-
berent intromitti? ad hæc Marchio licet nihil
mali suspicaretur, mandauit, ut in crastinum re-
dirent: sicque vice illa propositum eorum fuit
impeditum. Vnde alii ipsorum complices
omnino certi quod non desisterent, quin faci-
nus conceptum ut promiserant perpetrarent;

Lipzic mane venientes Marchionem mortuum diuulgauerunt, ciuibus ciuitatem Marchionissæ & Heinrico eius filio paruulo demandantes conseruandam. Et facta est coniuratio valida, multique additi sunt ad eos ; omnes autem fideles Marchionis turbati sunt, ipsum mortuum audientes. Sed postquam compertum est eum viuere, illi qui Lipzic se receperant exercitum quadringentorum armatorum congregantes, duobus annis Marchionem cum suis, ut hostes & aduersarios publicos, rapinis & incendiis molestabant. Diuersis autem placitis infra duos illos annos habitis, tandem promissis iuramentis, fideiussionibus ac aliis cautionibus exactis ; quidquid Marchionis aduersarii exigere volebant, ipse facere cogebatur : hac necessitate, quia ciuitatem Lipzic, vel Imperatori Ottoni, vel Archi- Episcopo Magdeburgensi aut aliis aduersariis Marchionis (qui pro tunc multi erant) tradere disponebant. Promissa igitur illis & omnibus eorum complicibus, indemnitate, Lipzic reddita est Marchioni Anno MCCXCVIII. Et quia prædicti aduersarii ciuitatem Lipsiensem absque voluntate ciuium & conniuentia, nequaquam bienio potuissent occupasse, Marchio ciues ob hoc exosos habuit & post paululum oportunitatem nactus, Fridericum, qui nuper in Regem Romanorum electus contra Ottonem, in Alemaniam

Lipzic

*Wende-
buet.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-172639-p0136-3

niam procedens de eo mirifice triumphauerat, secum in ciuitatem Lipsiensem cum paucis introduxit, quia nec ciues eum cum multis introducere volebant: Sed Marchione procurante, milites paulatim, nunc ad istam, nunc ad illam portam intrantes, ciuitatem plurimum repleuerunt, & se caute in hospiciis receperunt. Vnde quia tempore guerræ ciues campanam ad conuocandum se & communitatem fecerant; Marchio, ne per concursum multitudinis intentio sua frustraretur, tintinabulum prefatae campanæ clam tolli fecerat & seruari; sicque iuxta condictum & certum signum, forte cum tubis datum, ad iussum Marchionis; mox signo dato quilibet militem hospitem suum capere & bona ipsius diripere satagebat. Ciuitate itaque taliter subacta, Marchio fecit destrui murum in gyro, intra ciuitatis moenia ædificans tria castra, ne ciues in futurum attemptare similia præsumerent. Fuit autem vnum castrum in fine Prædicatorum fratum; aliud iuxta fratres Minores, tertium ubi est hodie. Milites autem, qui autores huius guerræ fuerant, iussit capi, quorum unus, cuius anima maxime querebatur, armatus dextrarium condescendit, & portam clausam cum securi aperiens, euasit. Cuius frater captus, traditus est in manus Friderici Regis Romanorum, qui postea cruce signatus, mare transiens rebus excessit humanis. Et licet secundum humanum iudicium, aliquantum

130 DE ORIG. PRINC. MARCH.

lum se Marchio vindicasset, tamen mala quæ ceperant contra eum, nullatenus conquie-
runt. Nam alii ministeriales sui prioribus fortiores, sese ipsi opposuerunt, trahentes in sui auxilium Archi-Episcopum Magdeburgen-
sem Albertum: qui fortim manu terram Mar-
chionis intrans, ædificauit castrum Tuch prope Lipzick ad vnum paruum miliare; cuius suc-
cessor oppidum castro adiacens muro cinxit
Anno MCCXXI. Marchio vero vsque ad finem
vitæ suæ a malis quæ eum apprehenderant, non
potuit se explicare, quæ paulo minus quam
quadriennio durauerunt. Donec æmulis suis
procurantibus a quodam medico suo, centum
marcis argenti (quarum iam quinquaginta ac-
ceperat) corrupto, intoxicate veneno sibi
propinato interiit. Et cum medicus, imo po-
tius veneficus, residuum pecunia pateret ab his
qui eum conduxerant, responderunt: abi in
malam viam furcifer; recede recede traditor
vilissime, qui Dominum tuum pro pecunia oc-
cidisti, & nisi parceremus honori tuo, statim ut
hominem scelestum, morteque dignissimum, te
suspendere deberemus. O tradidores impii,
ipso venefico nequiores quem ut auarum vt-
pote aduenam propriæ artis venditorem, ipsi-
met contra proprium & naturalem dominum
vestrum conduxitis; Iustius multo, quam ve-
neficus ipse, oris vestri sententia laqueo punient-
di. Igitur Marchione sic mortuo, Domina
Iut-

Iutta relicta eius cum filio suo Heinrico, qui tunc parum amplius quam bimus erat, dominium terre obtinuit, non amplius quam biennio in quiete, donec quorundam consilio, qui sibi fauere videbantur, Comiti Poponi de Henneberg nupsit. Quo facto Langgrauius Ludouicus frater Marchionissæ, quem Marchio Theodoricus adhuc viuens filio suo paruulo tutorem delegauerat, cum exercitu Marchiam Misnensem intravit; sicque Comes Popo compellus est cedere & Marchionissa cum ipso exulare, quæ recedens filium paruulum secum duxit. Antequam Marchio moreretur, omnes fere proprietates suas dederat Marchionissæ; a quibus quia nubendo comiti, exclusa videbatur, satis caute (licet cum præiudicio filii) recuperavit pretium dotalitii pro bonis & castris sibi traditis. Nam filium dedit in manus Ducis Austriae, accipiens pro castris & proprietatibus Dotalitii, duodecim milia marcarum, quas Dux idem filia sua Constantia pro Dote assignauit & eam puer Heinrico Marchioni despensauit. Dux autem Austriae moriens ordinauerat, quod Marchio dictas proprietates, cum ad legitimam ætatem perueniret, recuperare non posset, nisi aut filiam suam Constantiam duceret, aut duodecim milia marcarum sibi rependeret. Vnde antequam Marchio ad legitimam ætatem perueniret, tres habuit per ordinem Tutores; primo matrem, secundo Ludouicum Thuringiæ Lang-

132 DE ORIG. PRINC. MARCH.

grafum virum pacificum & discretum, matrem sancte Elizabeth, qui in diebus suis in terra sua & Misnensium optimam pacem procurauit: qui postea Cruce signatus in partes transmarinas iter arripiens, apud Ortrandum in Neapulia, sicut speramus, in Domino, obdormiuit, Anno Domini MCCXXVII. Corpus eius deductum in Reynhersborn, in sepulchro patrum suorum est collocatum. Vxor vero eius sancta Elizabeth, filia Regis Vngariae nepotis Dedonis Comitis de Rochlitz fratris Ottonis Marchionis Misnen sis, ex post multis virtutibus & miraculis clara, apud Martborg ex pecuniis dotalicij sui hospitale pauperum aedificari curauit. Vbi egenus egenis feriens, sibi nil retinuit, celeste regnum ambiens, hoc praesens omne respuit. Et quia de Genealogia est istorum Principum, ideo vita & miracula eius possent interferi. Sed alias hodie super candelabrum posita, longe lateque per totum claret orbem. Moritur autem haec sancta Elizabeth Anno Domini MCCXXXII. & per Gregorium Papam nonum tertio ex post anno canonisatur. Tertium autem tutorem Heinricus habuit Ducem Austriz, &c. Theodoricus vero Marchio Ecclesiam Canonicorum regularium S. Thomae in Leipzig fundauit anno Dom. MCCXI. vix biennio ante mortem suam, & in Monasterio veteris Cellae iuxta patrem suum Ottonem fundatorem est sepultus Anno MCCXIII.

Ende

MISN. ET LAND. THVRING. .133

*Henricus undecimus stipes Fundator Nouæ
Celle & Monasterii Nemtzun.*

S. XXVI. Heinricus Marchio filius Theodorici, dictus Lomar, cognominatur Princeps illustris. Nam primo ipse Landgrauiatum Thuringiæ acquisiuit; quia mater ipsius filia erat Hermanni Landgravi. Mortuo autem sine hæredibus filio Ludouico & fratre suo; iure quasi hæreditario beneficio Imperatoris & magna pecunia terram istam acquisiuit. Nam inter omnes progenitores suos, nullus diuitiis, potentia, sapientia, industria & magnanimitate sibi poterit coæquari. Dicitur & scribitur, quod argentofidina in Freiberg temporibus suis adeo fertilis & bona fuit, quod turres repleuerit argento; imo si voluisse Ducatum Bohemiæ comparare potuisset, sed cautus & sapiens aduertit dictum sapientis: Ne transgrediaris ambitione, terminos patrum tuorum. Ipse totum quod patrum suorum fuerat, habuit, & cum magna honorificentia & quiete possedit. Hic princeps pacis, Zelator iustitiae, Monasteriorum omnium quasi secundus extitit fundator. Nam omnibus vbiue Monasteriis per progenitores suos fundatis, collegiis, cathedralibus Ecclesiis multa donauit, & donata vel empta per monasteria, liberaliter appropriauit. Nouam Cellam Cisterci ordinis ad instar Veteris Cellæ propriis sumptibus fundauit. Hic Princeps inclitus, magna laude dignissimus, inter

34 DE ORIG. PRINC. MARCH.

omnes Principes Alemanniæ dñissimus & vir-
tute famosissimus, quoddam forestum arbori-
bus viridibus consitum, in Thuringia prope
ciuitatem Regiam Northusen, mirabili pulchri-
tudine construi fecit: Vbi tanquam alter
Assverus cunctis Regni Alemanniæ optimati-
bus conuocatis, diuitias gloriae regni sui ostendit.
Nam arte fabrili ex auro & argento ar-
borem factam, miræ pulchritudinis ibidem
collocari fecit: Et si quis Comitum, Baro-
num, Militum ibidem in magno numero &
multitudine congregatorum in hastiludio, ha-
stam suam super alio fregit: mox folium ar-
genteum de arbore, in signum virilitatis pro
merito obtinebat. Quisquis vero socium seu
comparum de equo deiecerat, ipso persistente,
mox folium aureum de dicta arbore in signum
virtutis assequebatur. Quæ inquam & qualis
multitudo ad tam honorabile spectaculum, et
iam Imperiali Maiestate dignum conuenerit
qui quis lector perpendat. Hic tantam beni-
uelentiam apud Imperatorem Fridericum ha-
buit, ut etiam filiam ipsius Margaretham, Al-
berto filio suo Thuringiæ Landgrauio in ma-
trimonium sociaret. Hic siquidem illustris
Princeps, Thuringiæ Landgrauius, Marchio
Lusaciæ & Orientalis & Marchio Misnensis ex
vtxore sua Constantia filia Philippi Ducis Au-
striæ, genuit duos filios, magnificos Principes:
Albertum Thuringiæ Landgrauium & Theodo-
ricum Marchionem de Landisperg qui Pingvvis
cognoscimus.

cognominabatur. Item post mortem Constantiae (quæ obiit Anno M CC XLIII. in Cella sepulta duxit Agnem sororem Ottocari Regis Bohemiarum, quæ obiit sine prole Anno M CC LXVIII. equidem in cœnobio Icelensi sepulta, post cuius mortem tertiam duxit uxorem Elizabeth de Maltitz de qua genuit Fridericum Marchionem de Dresden dictum Clemmense. Theoderico itaque dedit pater suus adhuc viuens Marchiam Landisperg & Comitatutam Grætzik, qui accepit uxorem Helenam filiam Marchionis Brandenburgensis. (Hæc fuit fundatrix monasterii in Wissinfels.) de qua genuit Fridericum Marchionem Misnensem & de Landisperg nomine Tute, qui mortuus fuit sine heredibus & in Wissinfels sepultus. Hic Theodoricus pinguis Marchio de Landisperg & Misnensis, vna cum fratribus suis, Alberto Thuringiae Landgrauio & Friderico de Dresden graues habuerunt lites cum duce Brunsvicensi & Comite de Anhalt, qui graui cum potentia & manu forti, terram Plissen & Orientalem in Bergvardo, Grætzig, Leipzig. Aldinborg (quam nuper Imperator cum filia sua Margaretha ipsi Alberto Dotis nomine donauerat) inuadentes deprædarunt, & igne ferroque hostiliter deuastarunt. Medio autem tempore, præfati Principes fratres, copiosa terra Misnensi, dominiisque suis & aliunde congregantes exercitum ; inimicos suos de terra sua viriliter fugarunt & expulerunt,

cos-

136 DE ORIG. PRINC. MARCH.

eosque vsque ad proprias eorum prouincias persecuti sunt. Quos denique cum præda & captiuis in campis comprehendentes capta & excussa præda, omnes vna cum Duce Bruns-
vicensi & Comite de Anhalt captiuarunt, sicque læti de victoria reuersi sunt ad proprias Theodoricus Marchio in memoriam huius rei, Missam perpetuis temporibus omni die debitam Virgini decantandam in Ecclesia beati Thomæ in Leipzig iNSTITUIT, ad altare beatæ Virginis ibidem. Hic Henricus senio confe-
stus, diuisit filii suis regnum dum adhuc viues-
ret. Nam Albertum seniorem Thuringiæ
præfecit. Theodoricum Marchionem Mi-
siæ, Lusaciæ, Landisberg & Dominum in
Greætzig constituit. Dresden autem & Hayn
cum pluribus aliis castris Friderico iuniori fi-
lio commisit, qui accepit vxorem Iuttam de
Svartzberg, obiit autem anno M CCC XVI. in
Cella cum vxore sepultus, vt & solempne te-
stamentum fecit. Theodoricus dictus pinguis
Marchio captiuatus fuit a Syfrido Comite de
Anhalt dolose & omnino contra honorem,
isto modo. Nam idem Syfridus de Anhaldt
& Bernhardus frater eius, cum exercitu & mi-
nisterialibus Capituli Magdeburgensis, Eccle-
sia tunc vacante, circumuallabant quoddam
castrum Reyne. Quod videntes se expugnare
non posse, aduersariosque suos plurimum ti-
merent, Theodoricum Marchionem in auxili-
um sui euocabant. Qui collecto exercitu, eis

in

MISN. ET LAND. THVRING. 137

in auxilium, vna cum Friderico patruo suo, fi-
lio Alberti Thuringiæ Lantgrauii & Comite de
Lissenig, rogatus aduenit. Quadam nocte
dum Marchio in papilione sua, securus in lecto
cum suis quiesceret, Ipsi Saxones, Syfridus &
Bernhardus de Anhalt, ipsum in lecto suo, cum
patruo Friderico & Burggrauio de Lissenig
captiuarunt, contra honorem & iustitiam.
Marchio ductus fuit in castrum Werbin pri-
mo, & post ad alia plura castra ipsius Ecclesiæ
Magdeburgensis. Sed Fridericus cum Burg-
grauio de Lissenig ducti fuerunt in castrum
Luppene: Vbi ambo quadam nocte ruptis car-
ceribus euaserunt, Fridericus libertate captata,
congregavit exercitum magnum & validum,
atque terram trans fanam & omnem regionem
illorum de Anhaldt concremare ac deprædari
cepit; ciuitatem Cotyn exspoliauit & in to-
tum succendit. Tandem Theodericus se cum
omnibus concaptiuis suis redemit, & post re-
demptionem castrum Werbin obsedit, cepit,
expugnauit & funditus destruxit. In sequen-
ti anno castrum Tauch quod Archiepiscopus
Magdeburgensis construxerat prope Leipzig
funditus etiam destruxit, prout hodie ruinae
cernuntur ibidem. Iste Theodoricus duo fun-
dauit monasteria ordinis sanctæ Claræ. Vnum
in Wissenfels, aliud in Susalitz, mortuusque
fuit ante patrem suum Heinricum Anno M CC.
LXXX, sepultusque fuit in Suzelitz. Post hac
mortuus fuit Heinricus illustris Princeps An-

no



138 DE ORIG. PRINC. MARCH.

anno M C C LXXXVIII. in Cella apud Patres suos sepultus. Reliquit autem Theodoricus & duas filias, quas Wissinfels monachas fecerat, & unicum filium Fridericum nomine Tuthe, qui duxit uxorem filiam Ducis Bauariae. Hic Princeps & Marchio Misnensis & de Landisberg, est mortuus sine heredibus in Wissenfels & sepultus.

Albertus, Duodecimus Stipes.

§. XXVII. Albertus Thuringiae Landgrauius & Marchio Misnensis, filius Heinrici illustris, accepit uxorem ut supra dictum fuit, Margaretham filiam Friderici secundi Imperatoris; cum qua donauit sibi castrum Altinburg cum terra Plissensi, de qua genuit tres filios: Fridericum, Titzmannum & Heinricum Landgrauium dictum *sne landt*. Post mortem ergo Friderici Marchionis Misnensis & de Landisberg, dicti Tute iure hereditario Marchia Lusatiae, Misnensis, Landisberg cum tota terra orientali peruenit ad Albertum Thuringiae Landgrauium. Contigit quod idem Albertus concubinam quandam adamaret pulchra Cunegundis, dictam de Ysenberg, quam publice & occulte multis annis tenuit: sicque legitimam suam uxorem Margaretham filiam Imperatoris exosam habuit. Quae cernens se despici, in ciuitatem Franckinfordt circa Moganum se contulit & ibidem reliquam vitam in omni castitate & religiositate finiuit. Et sicut matrem filiorum exosam habuit, sic &

filios

filios suos ex ea, Fridericum, Titzmannum & Heinricum exheredare modis omnibus conabatur. Nam mortuo Friderico Marchione Misnensem dicto Tute, patruo suo, Fridericus Senior filius Alberti, a ciuitatibus, magnatibus, & comitibus terrae Misnensis & Orientalis, accessitus in Dominum suum Marchionem fuit receptus; Quod multum dilectiuit patri suo Alberto Quare Pater proprium filium diffidauit, & in sui auxilium Marchionem Brandenburgensem cum Comitibus de Anehalt, aduocans, terram Misnensem, Orientalem & Plissensem plurimum deuastarunt. Ea de re filium suum Heinricum Landgrauium dictum Ane Landt, ita depauperavit, quod penitus nihil habuit, & ideo nomen sibi: Ane Landt, acquisiuit. Tandem vna dierum accidit, quod præfatus Marchio Brandenburgensis, vna cum Comitibus de Anehalt, terram Orientalem ad deprædandum cum multis Saxonibus intrasset. Fridericus Marchio Misnensis & Titzmannus frater suus Marchio Lusatiae, collectis militibus & ciuibus suis Marchionem Brandenburgensem cum omnibus suis captiuauit, sicque bellum Saxonicum a patre ipsius instauratum, penitus quieuit. Quare pater eorum Albertus Landgravius, audiens victoriam filiorum grati pernotus indignatione, infelle furoris sui, ad partes Reni properans, Marchiam Misnensem cum omni Orientali plaga terraque Plissensi, modis omnibus studuit

140 DE ORIG. PRINC. MARCH.

duit a filiis alienare. Nam Comiti Adolfo de Nasso nuper in Regem Romanorum electo, Marchiam ipsam cum omnibus appendiciis vendidit, cumque ad possessionem accipendam cum multa militia ad terram Orientalem adduxit. Venientibus itaque comite Adolfo præfato, vna cum Suevis multis in terram Orientalem, primo ciuitatem Pegauensem (forte non sine connuentia Abbatis Pegauiensis) obtinuit; mox castrum fortissimum Groetziaka vicinum expugnauit & funditus destruxit Anno M CCC VI. cuius ruine hodie cernuntur. Ex hoc castrum Froberg & Bornis obti-

nuit. Venerunt & receperunt eum Lipzenses & alia ciuitates multæ multique Nobiles, Barones & militares homagium fecerunt Adolfo. Itaque Fridericus Mar-

chio & Titzmannus frater suus totam quasi terram Orientalem perdiderunt. Adveniente autem hyeme, quæ solito more asperior inhorruerat, multi Suevi frigore perierunt; itaque compulsi fuerunt redire in patriam suam pro maiori parte. Anno reuoluto iterato

Rex Adolffus cum suis Suevis rediit in terram Orientalem, cum magna copia armatorum. Marchio vero Fridericus castra sua præcipua, puta Freiberg & Meissen cum multis militariibus fidelibus suis, copiaque victualium præmuniuit. Rege Adolfo in ciuitate Aldinborg existente, literas Salui Conductus ad Frie-

deris

MISN. ET LAND. THVRING.

14^o

Fridericu[m] Marchionem direxit ut ad se in ciuitatem Aldenburg veniret; quibus credens, Aldenburg cum paucis aduenit; at vbi compertum fuit Marchionem Fridericum in hospitio adesse, mox Sueui cerreptis armis cum potentia ad hospitium accurrunt, ipsumque in mensa sedentem occidere satabant: quod praeuidens quidam ciuis Fribergensis, qui cum eo aduenerat, feli inter Marchionem & vibratum percussoris gladium celebriter opposuit, sicque in mortem pro Domino suo Marchione dedit. Marchio vero beneficio & auxilio suorum ad superiora domus peruenit, noctisque praesidio, fuga sibi consuens manus eorum evasit. Audiens itaque Rex Adolffus fodinam argenti Freiberg, fore & esse cor Marchionis, tradimentum cum ciuibus Fribergensis fecit (dolo namque illos circumuenit, amplissima illis imperalia promittendo priuilegia libertatesque maximas) ut eum cum suis nocte intromitterent, vtque castrum multis militibus munitum, sociis armis secum expugnarent. Quod cum ciues tunc tradidores Regi promisissent, oportunitate captata, nocte quan dam Rex per ciues in ciuitatem intromittitur, & mox murum castri, antequam tradimentum hi qui in castro erant persentirent, a fundamentis ab extra suffodiunt, & magnam partem mu-

*Perfidia
Sueorum*

*Fidelitas
Freiber-
gensis.*

*Freiberg
Wendesba
et Verre-
der.*

K

ii



142 DE ORIG. PRINC. MARCH.

risicut hodie cernitur corruere fecerunt. Sicque statim Sueui castrum intrantes, plusquam sexaginta bonos milites captiuarunt. Tandem expugnatis his qui in turribus erant, ciuitatem Freiberg Rex potenter obtinuit, multosque ex ministris Marchionis captis decollarit præcepit, idemiptidem & captiuis militibus interminatus. Marchio vero Fridericus maluit totam suam Misnensem terram perdere, quam suos fidelissimos milites, morti destinatos, iugulari permittere. Totam itaque Marchiam Misnensem pro redemtione suorum captiuorum Regi tradidit: sive sine aliquo castro vel terra propria cum tribus saltē equis aliquamdiu equitauit. Hæc omnia patre ipsius Alberto Thuringiæ Landgrauio procurante. Tandem Albertus senio confectus in ciuitate Erfordensi mortuus fuit, & ibidem in Ecclesia beatæ Virginis in Monte, honorifice in medio Monasterii sepultus. Qui ecclesiæ collegiatæ multa bona & aliis piis locis contulit & appropriauit. Nam valde liberalis in dando & appropriando Monasteriis piisque locis fuit non propter ipsum tantum, sed ut proprios filios exheredaret. Et quia hoc in totum facere non potuit, saltē extenuare & exinanire modis omnibus curauit. Nam castrum Eckersberg Friburg, Landisberg cum ciuitate Sangirshusen & Delitzsch vendidit & a filiis alienauit. Multa etiam ciuibus Erfordensibus donauit & vendidit & obligauit, quæ tandem post mortem suam, filius suus Fridericus, prout in sequen-

quentibus dicitur recuperavit. Merito igitur sepultura patrum caruit, qui sic a paternis gressibus exorbitauit. Henricus filius Alberti Thuringiae Landgrauii, frater Friderici Marchionis, accepta vxore Hedvige filia Tertii Ducis Slesiae ex qua & filium genuit Fridericum, mortuus est, & simul cum vxore & filio in Cella veteri sepultura patrum suorum sepultus. Titzmannus equidem filius Alberti Marchio Lusatiae &c. duxit vxorem Iuttam, filiam Bertholdi Comitis de Henninberg, obiit sine hærede. Nam Leipzig in Ecclesia Sancti Thomæ, ipsa nocte sancta Nativitatis Christi fertur innocenter & improuise occisus, & apud Prædicatores ibidem sepultus Anno M CCC VIII. Eodem anno obiit Hermannus Marchio, dictus longus, paraliticus & in Cella sepultus.

Fridericus Admorsus, deimus tertius sipes.

§. XXVIII. Fridericus itaque Marchio Misnensis & Thuringiae Landgrauius, filius Alberti, primo accepit vxorem Agnetem filiam Ducis Karinthiæ, genuitque ex ea filium Fridericum, qui in iuuentute, annum circiter vigesimum quartum agens, occisus fuit ante castrum Ztvencko in octaua Epiphaniæ Anno M CCC XV. & in Cella sepultus. Post mortem primæ vxoris (quæ antecedenter Anno M CC XCIII defuncta fuit, pro cuius & occisi filii testamento, donatum est oppidum Rossvin, monasterio Zellensi) aliam duxit vxorem Elizabeth filiam Comitis de Marnsov,

K z cum

144 DE ORIG. PRINC. MARCH.

cum qua terram Marnsovv * & ciuitatem nos-
nam vna cum ciuitate Henis ** cum vicinisque
terris acquisiuit. Fuit hæc Elizabeth honesta
valde & deuota ac elegantis staturæ, die no-
ctuque bonis operibus insistendo. Quam
Deus ante finem vitæ suæ, vt beatam Elizabeth
olim in paupertatis palea probauerat, sic illam
cæxitatis obtalmia flagellauit. Genuit præ-
terea ex eadem Elizabeth, filium Fridericum
illusterrissimum Principem, de quo in sequenti-
bus dicitur. Hic Marchio Fridericus, prout
supra dictum est, data tota terra Misnensi & O-
rientali, pro redemtione suorum militum, ad-
eo pauper effectus fuit, vt tribus equis conten-
tus, tametsi modico tempore, cognatorum ho-
spitio & solatio frucretur. Tandem omni-
potens Deus, qui iustum nunquam derelin-
quit, postquam suum fidelissimum Principem,
sicut præfatum est, deiecit ; glorioius paulo
post ipsum victoria triumphali, contra Sueuos
inimicos suos sublimauit. Nam Rex Adol-
phus commisit quidem terram Misnensem &
Orientalem patruo suo, & ipse in partes obiit
Rehnanas. Videns autem Fridericus, quod
Rex nihil sibi de patrimonio suo restitueret,
cum tamen multa bona sibi promisisset ; asso-
ciatis sibi bonis sociis nocte quadam castrum
firmissimum Rochlitz, silentio intravit per
murus atque cunetas Reinenses & Sueuos
inibi captiuauit. Sicque aliquantis per refri-
geratur. Quadam die dum Comes de Nas-
sovv, de Debelin Ozzatz vsque equitare dispo-
neret : Marchio Fridericus cum fratre suo

* Arnshaug. ** Iena.

Titz-

Titzmanno Marchione Lusatiae, insidias latentes cum plurimis armatis, in quodam rubetō habentes; in Comitem præfatum properantem, de insidiis viriliter insiliunt, ipsiunque cum viginti militaribus capiunt, captumque in castro Rochlitz cum suis incarcerarunt, coegeruntque in carceribus eundem restituere castrum Lichtenvalde & ciuitatem Dobilin Geytan & Bornis, quibus receptis nihilo feci- us comitem in vinculis detinentes euentum rei expectabant. Comite siquidem in vinculis existente Adolffus Rex patruus eius interfectus fuit propter tyrannidem quam exercebat, & electus fuit in Regem Romanorum Albertus Dux Austriae, qui eundem Adolffum interfec- rat. Ad quem Fridericus Marchio accedens pro beniuolentia captanda, ut cognatus eius, primo sibi omnia restituere promisit: sed tandem promissum non tenuit, quin imo Marchiam Misnensem patruo suo, beneficio Imperiali concessit. Audiens Comes de Nassov in vin- culis, Adolffum Regem interfectum & nouum Regem electum, fidem de non recedendo fre- git, & nocte quadam de Terra Misnensi, in partes suas auffugit. Quam mutationem fa- etam Ciuitates Leipzig, Freiberg & tota Terra Mi- shensis ac Orientalis se ad Fridericum Mar- chionem sponte conuertit. Quos idem Mar- chio benigne recepit, posteaque in fide conti- nuit, exceptis quibusdam Comitibus & Baroni- bus, ut infra dicetur. Sicque Fridericus Mar- chio, totum patrimonium amissum Dei prouiden- tia recuperauit. Sequenti anno videlicet

146 DE ORIG. PRINC. MARCH.

MCCC VII. eo tempore quo Reges ad bella procedere consueuerunt, Rex Albertus misit comitem de Nortimberg cum magna multitudine Sueorum & Reynensium, ad terram Orientalem, non sine connuentia Comitum & Barorum multorum, qui eisdem contra proprium & naturalem suum Dominum, auxilium, consilium & fauorem publice & occulte impendebant. Sicque Sueui per ciuitatem Pegauensem transeuntes, inde victum sibi procuraerunt: tandem multis malis per eosdem Sueuos in vicinis opidis Rotavv & Lobesitz perpetratis, multis exspoliatis & deuastatis; tandem ante opidum Luckovv in campestribus tentoria posuerunt; multas matronas honestas & virgines dehonestantes: fertur etiam quod aliqui dissoluti ex eis, imaginibus beatæ Virginis & Sanctorum contumeliam ac blasphemiam intulerint, quæ Deus omnipotens, qui semper præsto est suis, humilibus gratiam infundendo & superbis resistendo, cito malitiam eorum domando compescuit. Nam Fridericus Marchio Mishensis & Titzmannus frater suus Marchio Lusatiae, resumptis iam viribus, in ciuitatem Lipsensem, omnes bellatores milites suos, ciues & rusticos congregauerunt: confessione Sacramentali peracta, adunatisque Clericis & religiosis ibidem præsentibus, missam solemnem decantari fecerunt, agonem & certamen quod præliaturi erunt, Domino precibus deuotis commendantes. Sicque recepta Sacerdotali benedictione, gladio & armis, vt Iudas

das Machabeus ad bellandum se succinxit, dicens melius est nos mori in bello, quam vide-re mala gentis nostræ & sanctorum; da galeam hodie super caput meum, trium terrarum Mis-nensis, Orientalis, Thuringiæ insigniis prælii & torneamentorum insignitam, adiuuet nos Deus, sicut iustitiam habemus. Sicque cum suis confi-denter, fortiter & audacter Sweuos adiit, vicit, peremit, captiuauit, liberans patriam suam ab eorum incuribus vsque in hodiernum diem. Perfecta deniq; potius victoria lætus cum suis Leipzig rediens, dignas Deo gratiarum persolvit actiones Posthæc mortuo iam patre suo Alberto, in civitate ut prædictum est Erfordensi; mortuo similiter fratre suo Tizmanno; Fridericus illustris Princeps, Landgrauiatum Thuringiæ, Marchiam Misnensem & Lusatia cum terra Plisnensi & o-rientali, solus potenter obtinuit, cepit æmulis suis meritas rependere vices, persequendo & omnino, qui se gratiæ suæ sponte reddere nole-bant, exterminando. Tandem Erfordenses im-petit (quia Pater eius, multa iura, iurisditiones & Telonea, in sui fratumque suorum præaudi-cium, ipsis donauerat & impignorauerat) quæ cum Fridericus ab eisdem repeteret, ipsi de pecunia & potentia sua tumidi præsumentes, nihil eorum quod possiderent, aut velle aut posse si-bi restituere asterebant. Quapropter Erfordienses de Mammona suo confisi; Comitem de Orlamunde & Wymar Herman-num, sibi in auxilium sub eorum tributo con-duxerunt. Qua de causa Fridericus Landgrauius

148 DE ORIG. PRINC. MARCH.

castrum suum optimum Orlamunde & castrum
 Wymar, Madela & Vipec obseedit, expugnauit
 & obtinuit, regnoque suo Thuringiae vsque in
 hodiernum diem adiunxit. Persentiens autem
 Hermannus se tanti Principis potentiam suffer-
 re non posse, prouolutus pedibus & prostratus
 gratiam eius humiliter impetravit. Quod nisi fe-
 cisset, quasi exul & peregrinus de terra Thu-
 ringiae propulsus fuisset. Reconciliatus itaque
 præfatus Comes, compulsus fuit, euidem &
 ipse Errfordenses, quos prius adiuuerat, diffida-
 re. Congregauit itaque Fridericus Landgravius
 exercitum copiosum valde adiutorio multorum
 Principum, Comitum & Baronum, Errfordiam
 que obseedit multo tempore, eisdem stratas pu-
 blicas concludendo, terras & villas eorum de-
 uastando, pro tanto eosdem cœgit & compul-
 lit, ut omnia singula & vniuersa, quæ Albertus
 pater ipsius, iniuste in odium filiorum ipsis de-
 derat, vendiderat, locaverat vel impignoraue-
 rat, restituerent, nec non amicitiam suam de-
 cem millibus marcarum argenti super hæc com-
 pararent. Sicque gloriosus Princeps quasi Mo-
 narchus in regno & Principatibus suis existens,
 aliquantis per plena gauisus est securitate. Nuper
 mortuo Tizmanno Marchione Lusacie fratre
 Friderici, ut supra dictum est, Friderico ipso
 intra & *Principatum Thuringiae plurimum oc-
 cupato & præliante, contigit Waldemarum
 Marchionem Brandenburgensem ciuitates & ca-
 stra & totam Lusaciam occupare. Sopita discor-
 dia cum Errfordensibus, cepit Fridericus pro-

Mar-

* forte omissum: extra.

MISN. ET LAND. THVRING. 149

Marchia Lusatiae cum Waldemaro contendere
& plura placita secum habere. Sed Waldemarus
de potentia sua, & maxime quia possessionem
Lusatiae iam habebat, confisus; cepit Friderico
fortiter resistere, sicque dissidium & guerra ma-
xima inter eos est orta. Vna vice Marchione Fri-
derico in Misna existente, nocte qnadam Satel-
lites Waldemari clandestine per murum ciuita-
tis Haynensis transcendentes, ciuitatem ipsam
clam præoccupare conabantur; vnde ciuibus &
vigilibus traditionem præsentientibus, in irri-
tum cessit conatus eorum. Quin imo circiter
triginta eorum, qui ciuitatem iam intrauerant
capti tentique sunt; statimque hoc Domino
Friderico Principi versus Misnam denuntiaue-
runt. Qui gauisus mox equo suo insiliens, non
expectata familia, quantocius Haynis properauit,
mane diluculo. Socii autem eorum qui ca-
ptiuati fuerunt, foris forte murum forte studio-
se remanserant, vt si quos aduenientes com-pre-
hendere possent, in cambium suorum capto-
rum similiter captiuarent; accidit proh dolor,
quod inclitus Princeps præcise in manus inimi-
corum suorum foris murum ciuitatis incidit, sic-
que captiuus abductus fuit & Waldemaro præ-
sentatus. Tandem cum inclitus Princeps se re-
dimere vellet in tantum ab eo extorquebant,
quod vtique eum sic depauperarent, vt se in po-
sterum vindicare non posset. Quare triginta mil-
lia marcarum, pro redēmptione sua constituit,
omnibus captis in Hayn primo & ante omnia
libertati donatis. Idem coactus fuit renūtiare

&



150 DE ORIG. PRINC. MARCH.
&cedere pro se & suis heredibus omni iuris actioni
ni sibi competente in Marchia Lusatiae & in ca-
stris Landisberg & Kirsberg Nuemborg, quæ
Pater suus dicto Waldemaro obligauerat. Præ-
ter hæc omnia pro redemptione sua fuit com-
pulsus dare pro pignore Castrum Meissen & ci-
uitatem Freiberg, patruo dicti Waldemari. Su-
per hoc denique dilectam & vnicam filiam su-
am coactus fuit despondere in matrimonium
Comiti de Anehalt, de quo plus doluit quam de
omnibus aliis persoluendis. Sicque pro solutio-
ne infauitæ huius captiuitatis, super centum
milia marcarum, vna cum dampnis & expensis,
feruntur exposita. Libertate potitus, patruum
Waldemari atrociter persequi cepit, eumque
de terra Misnensi & de castris Landisberg, &
Meissen potenter expulit. Tandem senio & la-
bore fatigatus, vnicō filio suo Friderico filiam
Ludouici Imperatoris Mechtildem in matrimo-
nio locauit, cui & gubernacula principatum
Thuringiae, Misnia & Orientalis regionis cum
terra Plissensi committens, obdormiuit in Do-
mino Anno MCCCXIV. pro quo merito, incliti
Principes moderni pronepotes sui, exorare te-
nentur, qui sua magnanimitate & audacia pro
patria sua viriliter pugnans, eam feliciter & vi-
ctoriose obtinuit, suisque filiis, nepotibus & suc-
cessorib⁹ iustissimo hæreditatis titulo delegauit.

Fridericus Severus Quartus decimus Stipes.

§. XXIX. Fridericus siquidem præceden-
tis Friderici filius, Thuringia Landgrauius &
Marchio Misnensis, ex Mechtilde filia Ludo-
vici Imperatoris genuit quinque filios, quorum

pri-

MISN. ET LAND. THVRING. 151

primus mortuus fuit in pueritia. Secundus filius Fridericus pater principum minoris Friderici & Wilhelmi, natus fuit anno Domini MCCCXXX. in die Burghardi confessoris, Tertius Balthasar natus fuit Anno MCCCXXXVI. in die Thomæ Apostoli. Quartus Ludowicus natus fuit Anno M CCC XL. in crastino Matthiæ Apostoli. Quintus Wilhelmus natus fuit Anno M CCCXLIII. in præuigilia S. Thomæ. Duas habuit filias, vna fuit Abbatissa in Suzeliz ; altera nupsit inclito Princi Burggrauio Normbergensi, de qua genuit Burggrauios hodiernos. Hic Fridericus inclitus Princeps, alienata per Albertum Landgrauium auum suum quæ pater ipsius non recuperauerat, strenue cepit repetere ac vendicare, pacisque zelator prudentissimus, potentia sua cunctis vicinis formidabilis fuit. Nam castrum Eckersberg in Thuringia obsedit, raptoresque provinciæ de Meyldingen dictos, de præfato castro pepulit & expugnavit. Castra Hesseler, Wilristete, Rassenberg penitus destruxit, atque raptores de his penitus extirpauit. Castrum etiam fortissimum Dorinborg cum castello vicino adiacenti super Salam fluuium, magnis laboribus & sumptibus expugnauit & cepit, quod filiis & nepotibus suis hodierna die hereditarium reliquit. Castrum denique munitissimum Friburg cum oppido expugnauit, cepit & raptores exinde eiecit : quod tunc Episcopus Merseburgensis, pro certa pecuniarum summa, cum aliis castris in pignus ab Ecclesia Magdeburgensi detinuerat. Causa expugnationis dicti castrorum Friburg talis prætenditur. Con-

152 DE ORIG. PRINC. MARCH.

tigit mercatores Polonos & Slesitas cum magnis
mercimoniis & multo thesauro, cum plurimis
curribus & equitibus transire per terram Mi-
nensem & Orientalem, quo usque peruererunt
in Civitatem Numburgensem, vbi tunc perno-
ctabant. Quod Aduocatus castris Friborg (qui
fuit quidam Baro de Heymo vel Straphilo, co-
gnatus Episcopi Merseburgensis) intelligens ,
mane congregatis sociis raptoribus & armatis,
prædictis mercatoribus trans Salam fluvium
prope grangiam Portensis Monasterii dictam
Geuerstete, in ripa Crennowitz, insidias posuit,
spoliauit, captiuauit, totamque prædam cum
curribus, equis & captiuis in castrum Friburg vi-
cinum abduxit. Prothonotarium denique Re-
gis Polonorum circa currus equitantem occi-
derunt, cuius crux lapidea cum inscriptione li-
terarum hodie cernitur. Princeps autem Fride-
ricus Thuringiae Landgravius & Marchio Mi-
nensis, ex eo quod dicta rapina perpetrata fuit
in territorio & dominio suo, & præsertim in suo
saluo conductu, prædam omnem una cum ca-
ptiuis, sibi libertati donari postulauit; quod
si non facerent, ipsum castrum se expugnatu-
rum comminabatur. E contratio castrenses re-
sponderunt, se sibi nec minimum quadrantem
restituturos, de firmitate castris confisi & de auxi-
lio præsertim Archi-Episcopi Magdeburgensis
& Merseburgensis & aliorum multorum Saxo-
num. Quid pluta? inclitus Princeps iusto iudi-
cio dictos castrenses diffidauit, exercituque va-
lido congregato castrum multo tempore obse-
dit,

MISN. ET LAND. THVRING. 153

dit, cepit & expugnauit, & vsque in hodiernum diem, pro se & suis heredibus obtinuit, imo verius tanquam patrimonium suum, per auum suum Albertum male alienatum, recuperauit. Insuper manu valida vna cum Archi - Episcopo Moguntino ciuitatem Salza obsedit, eamque graui ut dicitur incendio (in vindictam illorum Rybaldorum, qui denudatis posterioribus per murum pudibunda, sibi & suis ostenderunt) concremauit, cepit & expugnauit; quam pro medietate vna pro se & suis heredibus, pro alia medietate, Ecclesiae Moguntinæ obtinuit, sicque communites dictam ciuitatem Salza, vna cum Archi - Episcopo Moguntino vsque ad finem vitæ suæ possedit. Tandem filius suus Balthasar, Thuringiz Landgrauius cum Archi Episcopo & Capitulo Moguntiuo concubium fecit, certa sibi oppida in finibus Thuringiz, pro sua medietate in Salza donando, sicque totum dominium ciuitatis & castris Salza ad Principes hodiernos deuenit. Multa quidem & alia insignia facta gloriosus & inclitus Princeps fecit, quæ non sunt nota. Valens igitur magnificentia, locum sepulturæ suæ & progenitorum suorum, in Veteri Cella, cappellam in honorem beati Andreæ Apostoli, pulchram & ornatam funditus de novo erexit. Vbi ipse cum vxore sua Mechtilde in Domino requiescit, mortuus Anno Domini MCCCXLIX. Domina autem Mechtildis vxor ipsius ante illum defuncta fuit, anno MCCCXLVI.

Fridericus Strenuus Quintus decimus Stipes.

s. XXX. Fridericus itaque filius senior prædicti Friderici, pater principum nostrorum, accepit vxorem Catharinam prudentissimam & honestissimam Domnam, filiam Comitis de Henninberg cura qua ciuitatem & castrum Cuborgk in Franconia acquisiuit pro se & suis heredibus. De qua genuit tres filios. Fridericum & Vilhelnum & Georgium iam mortuum. Hic siquidem inclitus Princeps, procerus & formosus corpore, omni

154 DE OR. PR. MAR. MIS. ET LAN. TH.

virtute plenus, gubernacula regnorū, tanquam senior,
 in pacis tranquillitate & rerum opulentia regebat. Fra-
 tres secūm indiuise in vna curia, cum vxoribus eorum
 vsque ad finem vitæ suæ tenuit. Et hoc signum maximæ
 ipsius prudentiæ & discretionis fuit, cum iuxta commu-
 nem statum, hodie vxores fratrum, diuisione in inter eos-
 dem efficiunt. Hic inclitus Princeps adeo amabilis Impe-
 ratori Karolo Regi Bohemiæ potentissimo, Regique
 Vngariæ ac aliis omnibus Regibus, Ducibus & Principi-
 bus fuit, vt raro vel nunquam ipsius præsentia carere po-
 terant. Nam Imperator Carolus filiam suam vnicam tunc
 paruulam, filio suo Friderico tunc iuueni, in matrimo-
 nium dare spopondit, certis priuilegiis desuper datis &
 confectis magna summa pecunaria in locum pœnæ ad-
 iecta, vt si postquam ad annos discretionis pueri veni-
 rent, & alter alteri promissum infringeret, dictam sum-
 mamm loco pœnæ alteri parti tenere nolenti, persolueret.
 Sed ex post, mortuo Imperatore, & mortuo Friderico
 Principe, Filii Imperatoris VVeneslaus Rex Rōmano-
 rum & Bohemiæ, & Rex Vngariæ fratres puellæ, pro-
 missum paternum temere violantes, puellam Regi An-
 gliz, in matrimonium locauerunt. Anno dehinc
 MCCCLXXV. tempore æstatis, hic gloriosus Princeps, vna
 cum fratribus suis Ludovico Episcopo & Balthasar &
 VVilhelmo, cum ingenti armatorum multitudine, ciu-
 itatem Erfordensem obsedit, terram, vineas & villas eo-
 sum vndique deuastando. Vbi Imperator & Imperatix
 propriis in personis cum magno exercitu aderant, ibique
 tot Principes, Comites & Barones congregati fuerunt,
 cum tanto rerum apparatu & vītualium copia, quam
 nunquam in Alemannia oculus vidit vel auris audiuit,
 talia vel similia, quibus omnibus inclitus Princeps Fri-
 dericus in necessariis prouidit. Causa autem obsidionis
 fuit potissima propter fratrem suum Ludovicum, cuī
 Papa de Archi-Episcopatu Moguntino prouiderat, quem
 Capitulum Moguntinum recipere recusabat, electum su-
 um retinere malentes. Sed dolo Imperatoris, ut dicitur,
 res inacta permanit & Ludouicus ad Archi-Epi-
 scopatum non peruenit.

161049

ULB Halle
003 083 128

3



m.6.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan


Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
meters
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Farbkarte #13

HISTORIA
MISNENSIS
QVAM
CHRONICON TERRÆ
MISNENSIS
ET
ANNALES VTERO
CELLENSES

ANTEHAC NVNQVAM EDITA
EXHIBENT
IN LVCEM PRIMVS PROTRAXIT
BVRCARD GOTTH. STRUVE.



IENÆ
APVD IO. FELICEM BIELCKIVM.
M DCC XX.